N° VITT. EMANUELLE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

REFVTATIO

Vanæ Diſſolutionis

NODI GORDII

DE VOCATIONE MINISTRORVM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

A

Ioanne Volkelio Miniſtro Arriano tentatæ.

Authore

R. P. Martino Smiglecio Societatis Iesv, S. Th. Doctore.

CRACOVIÆ,

In Officina Andreæ Petricouij, S. R. M. Typogr.

Anno Domini, 1614.

Digitized by Google

Hieremiæ 9.

Docuerunt linguam ſuam loqui mendacium: vt iniquè agerent, laborauerunt.

Digitized by Google

Illuſtriſsimo & Reuerendiſsimo Dño,

D. IOANNI KVCBORSKI,

NOMINATO EPISCOPO CVLMENSI, ET POMESANIÆ. &c.

Author felicitatem.

EN iterum laceſsitus, contra Diuini nominis hoſte, in aciem deſcendo: victoriæ ſpem magnam & cauſæ æquitas, & vires inimicorum toties antea proſtratæ faciunt. Genus enim hominum eſt huiuſmodi, à quorum patrijs ſedibus Deus, Religio, & Lex exulant; & apud quos in ijs, quæ ad religionem ſpectant, Libet & Licet pari pendũtur lance. Arrianos Orthodoxæ, ac ſalutaris veritatis certiſsimas peſtes intelligo, qui cùm inſignibus in Filium Dei blaſphemijs id ſint aſſecuti, vt rectè dicendi ac ſentiendi frontem exuerint; nihil in fide Catholica tam ſanctum ac inuiolatum relinquunt, quod non conuellere, ac labefactare ſua temeritate attentent. Atq; vt alia prætercam, illud ſatis mirari non poſſum, quod cùm antiquiſſimi ac diuiniſsimi Eccleſiæ Patres, omnibus pſeudominiſtris, ac Arrianis, velut rem indignam obiiciant: veros ac germanos Apoſtolorum ſucceſſores illos nullo modo eſſe poſſe: nullam poteſtatem, imò nihil cum veris Eccleſiæ miniſtris habere: vera verorum Chriſti miniſtrorum decora, ac ornamenta per ſummam iniuriam ac impudentiam ſibi aſſumere; id noſtri Arriani, ſi ipſorum miniſtri omnibus his careant, nequaquam indignum arbitrantur: & quod de Rhetis ſeu Gryſonibus dicitur, qui vt Magiſtratum aliquem conſequantur,

INDEX CAPITVM HOC libro contentorum.

Miniſtros Eccleſiæ vocari à Deo, & ad ſua munera conſecrari, ſacræ literæ docent. CAPVT I.

Tria ſcripturæ teſtimonia de vocatione & miſsione Miniſtrorum expenduntur, & à calumniis Arrianorum vindicantur. CAP: II.

Miniſtros qui legitimè miſsi non fuerint: dici in ſcriptura, adulteros, falſos Prophetas, lupos rapaces, fures, & latrones; Antichriſti ſectatores. CAP: III.

Volkelium contra omnem rationem negare Miniſtros Eccleſiæ vocatione & miſsione egere. CAP: IV.

Arriani ad Euchariſtiam conficiendam nullam in Miniſtro poteſtatem requiri nugantur. CAP: V.

Miniſtris in ordinatione non conferri Spiritum ſanctum imperitè tuetur Volkelius. CAP: VI.

Argumenta aduerſariorum diluuntur. CAP: VII.

Concluditur Miniſtros Arrianos teneri vocationis & miſsionis ſuæ rationem reddere. CAP: VIII.

Examen primæ Demonſtrationis, qua probatur Miniſtros Euangelicos ob defectum vocationis & miſsionis non eſſe legitimos Miniſtros: CAP: IX.

Abſurdè Volkelius defendit miſsionem Miniſtrorum neceſſariam non eſſe. CAP: X.

Miniſtros Lutheranos & Caluiniſtas immediatè à Deo miſſos non eſſe. CAP: XI.

Miſsio-

Miſsionem à Deo mediatam Lutherani & Caluiniani Miniſtri probare non poſſunt. CAP: XII.

Examen ſecundæ Demonſtrationis, qua Miniſtri Euangelici eò quod ritè ordinati non ſunt, illegitimi Miniſtri eſſe oſtenduntur. CAP: XIII.

Examen tertiæ Demonſtrationis, qua oſtenditur Miniſtros Euangelicos poteſtate peccata remittendi carere, ideoq; veros Miniſtros non eſſe. CAP: XIV.

Examen quartæ Demonſtrationis, ex ſacrificio Noui Teſtamenti ductæ. CAP: XV.

Examen quintæ Demonſtrationis, à poteſtate Euchariſtiam conficiendi deductæ. CAP: XVI.

Examen ſextæ Demonſtrationis ex Miniſterio Sacramentorum ſumptæ. CAP: XVII.

Examen ſeptimæ Demonſtrationis, De Eccleſiæ Catholicæ Miniſtris. CAP: XVIII.

Examen octauæ Demonſtrationis, de Verbi Dei Miniſterio. CAP: XIX.

Examen nonæ Demonſtrationis, ex fructu Miniſtrorum deſumptæ. CAP: XX.

Examen decimæ Demonſtrationis, de miraculis Miniſtrorum. CAP: XXI.

REFV.

Digitized by Google

REFVTATIO SOLVTI NODI GORDII.

De vocatione Miniſtrorum.

Miniſtros Eccleſiæ vocari à Deo, & ad ſua munera conſecrari, ſacræ literæ docent.

CAPVT I.

CVM Nodum Gordium, ſeu de vocatione Miniſtrorum quæſtionem, non multos ante annos Euangelicis propoſuiſſem: eius diſſoluendæ optimam ſe Arriani Racouienſes rationem inueniſſe putauerunt, ſi omnem vocationis, ac miſſionis neceſſitatem è medio tollerent, & eliminarent. Quod dum faciunt, multum ſanè præſtant: nam præterquam quod rem abſurdiſſimam temerè effutiant, inſuper ſe non Nodum ſoluiſſe, ſed pluribus, & arctioribus errorum Nodis implicuiſſe, omnibus palam atteſtantur. Vt enim qui argumentorum vi, & efficacitate, in eos æſtus, & anguſtias compingitur, vt omni ratione lucis erepta, abſurda quæq; concedere, veriſſima autem negare non turpe ſibi eſſe ducat; is quouis ſanæ mentis iudice, nec ſuam ſententiam tueri, nec aduerſarii argumentis ſatisfacere æſtimatur: ita certè cùm Arriani, non alia ratione Nodum expedire potuerint, quàm vel mente, vel fronte erepta, rem abſurdiſſimam, & maximè incredibilem aſſerendo; re ipſa fatentur ſe Nodo non diſſoluto fruſtra digitos denteſq; fatigaſſe. Quòd verò id quod aſſerunt ſit ab omni ratione alienum, vel illud argumento eſſe poteſt; quod è tot Hæreticorum Myriadibus, qui omne ſuum ſtudium ad id vnum contuliſſe videntur, ne quicquam quod in Religione abſurdè dici poſſet, tacitum ipſi relinquerent;

Arriani vt Nodum de vocatione ſoluant abſurda aſſerunt.

rent;

rent; nihilominus nullus tam effrons, tam mentis omnino inops inuentus ſit, qui in illis Ægyptiacis errorum tenebris, non dicam non viderit, ſed manibus ipſis non palpauerit, craſſiſſimum errorem eſſe, vocationis, & miſſionis neceſſitatem expungere, & abrogare: cùm id non Diuinis duntaxat teſtimoniis, ſed ipſi rationi repugnet. Proferam ex innumeris aliquot ſcripturæ loca, in quibus manifeſtè docetur; Miniſtros à Deo ad munera in Eccleſia obeunda vocari, conſtitui, conſecrari: & contraria ratione qui tales non fuerint, eos non Dei præcones, ſed falſos Prophetas; non Paſtores, ſed lupos rapaces, fures & latrones; non Miniſtros, ſed Antichriſti prodromos eſſe, ipſius ſancti Spiritûs ore perhiberi. Quibus propoſitis liquidò conſtabit, Arrianos talpis ipſis eſſe cæciores, qui hæc in ſacris literis aut non viderint, aut non intellexerint; nullumq; Eccleſiæ Miniſtrum legitimum eſſe poſſe, niſi à Deo vocatum & miſſum, apparebit.

1. S. Paulus docet à Spiritu S. poſitos miniſtros Eccleſiæ Aſianæ. Idem in reliquis Eccleſiis fieri probatur.

Celebris in primis locus eſt, Actorum 20. ℣. 28. cùm Aſianæ Eccleſiæ Miniſtros hortatur Paulus in hunc modum: *Attendite vobis & vniuerſo gregi in quo vos ſpiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Certè ſi Spiritus Sanctus illos poſuit Miniſtros, non ſine diuina vocatione Miniſtri fuerunt, nec ſine neceſſitate Diuina illis vocatio obtigit: quaq; Dei prouidentia Eccleſiæ Aſianæ tum prouiſum vt Miniſtros à Spiritu ſancto conſtitutos haberet, eadem nunc quoq; omnibus Eccleſiis proſpicitur, cùm idem Deus ſit diues in omnes; eandem curam, & prouidentiam paternam circa Eccleſiam ſuam habeat. Deinde vis quædam eſt in illis verbis: *Regere Eccleſiam Dei.* Nam ſine Dei nutu & voluntate, Dei Eccleſia regi à nemine poteſt. Vt enim ciuitates & prouinciæ Principi alicui ſubiectæ, regi à nemine poſſunt, niſi ab eodem Principe facta poteſtate: ita ad Dei Eccleſiam regendam admitti nemo debet, niſi legitimè à Deo vocatus. Quod ſi nec alienam domum quis iure gubernat non vocatus, quomodo Eccleſiam Dei gubernabit? Quod verò addit Paulus: *Quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* An non manifeſtè indicat eiuſdem vocationis neceſſitatem? Cùm enim Eccleſiam ſuam Deus tam caram habeat, quippe quam pretio ſanguinis ſui acquiſiuit, non eſt æquum vt eam cuiuis ad libitum gubernandam permittat; ſed ſelectis duntaxat, & iis quos ad tantum munus per ſe, vel per Eccleſiam ſuam, idoneos

Mini-

Miniſtros deputauerit. Res enim viles, & quas pro nihilo ducimus, permittimus à quibuſcunq; nullo diſcrimine tractari; at precioſas, & quas valdè caras habemus, præcipuis quibuſque cuſtodiendas tradimus.

Idem Paulus ad Epheſ: 4. 12. docet: *Chriſtum dediſſe Eccleſiæ ſuæ quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores ac Doctores, ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti: vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris.* Si ergo Diuo Paulo credimus, certè Paſtorum, & Doctorum in Eccleſia officium, & vocatio, Dei donum erit, ab illa perpetua, quam de ſua Eccleſia habet, cura profectum, ad eiusq; prouidentiam ſpectabit, Paſtores & Doctores in Eccleſia prouidere, ad quæ officia aditus omnibus non pateat, quaſi liberum ſit cuicunq;, vt iſti ſomniant, officium Paſtorum & Doctorum ſine alia vocatione exercere: expreſſè enim dicitur alios poſitos eſſe Paſtores & Doctores, alios Euangeliſtas & Prophetas. Id quod expreſſiùs Paulus 1. Cor: 12. ℣. 29. explicat: *Nunquid omnes Doctores? ſed diuiſiones Miniſtrationum, & gratiarum ſunt.* Et ſicut in vno corpore ſunt multa membra, quæ non eundem actum habent; ita in Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, diſiuncta munera & officia, ad diuerſos ſpectare opus eſt: non igitur licitum erit cuiq; ad libitum Doctoris, aut Paſtoris munus publicum in Eccleſia obire, niſi ex eius vocatione, cuius proprium eſt dare Eccleſiæ Paſtores, & Doctores.

II. Chriſtus dedit Eccleſiæ Apoſtolos, Doctores, Paſtores.

Quis verò ſit huius vocationis finis, explicatur illis verbis: *Ad conſummationem Sanctorum, in opus Miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti.* Etſi enim Chriſtus omnia per ſeipſum ſua poteſtate diuina præſtare poſſet, & totum mundum ad ſe conuertere: requirit tamen ſuaui ſua prouidentia, vt homines in opus tanti miniſterii adhibeat, & eorum miniſterio ad conſummationem & perfectionem Sanctorum, & ad ædificationem corporis ſui, quod ex fidelibus tanquam ex membris componitur, vtatur, iiſq; gratia ſua adſit in miniſterio, ad quod vocati ſunt, vt dignè, & cum fructu ab eis exerceatur. At ne fortè quis exiſtimaret cum Arrianis, eam vocationis gratiam ad primam illam duntaxat Eccleſiam ſpectare, ſubiungit eam munerum & miniſteriorum

Finis propter quem Deus ad miniſteriũ homines vocat.

ex dono eius diuiſionem, ad finem vſq; mundi in Eccleſia permanſuram. Donec (inquit) occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, ſecundùm menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Cùm enim Chriſtus, & corpus eius, acceſſione fidelium tanquam membrorum quorundam, creſcat in dies: & perfectum complementum, ac virilem ætatem acquiſiturum non ſit niſi in fine mundi: neceſſe eſt ad huius corporis incrementum iuxta Diui Pauli ſententiam ad finem vſque mundi, à Deo prouideri Paſtores, ac Doctores, qui ſua cura ac doctrina, addant in dies noua Chriſti corpori membra, nouos fideles. Ex quo efficitur diuina vocatione ſemper opus eſſe ad munera Paſtoris, & Doctoris ſuſcipienda.

Corpus Chriſti myſticum creſcit in virum perfectum.

Denique oſtenditur, quæ ſit huius diuinæ vocationis neceſſitas: ne ſcilicet *ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ.* Paruulis enim ductore opus eſt, ne opinionum fluctibus, & ignorantia agitentur, & variis doctrinis quaſi ventis quibuſdam in hanc & in illam partem iactentur. Nec verò quicunque ductor, ad id ſufficit, ſed is ſolùm de cuius authoritate non dubitetur.

Diuina vocationis neceſſitas.

Hoc igitur diuina prouidentia facit in Eccleſia ſua; ne contingat fideles omnium opinionum fluctibus agitari; prouidet huiuſmodi Miniſtros Eccleſiæ, de quorum authoritate dubitari non poſſit, cùm à Deo vocati, & miſſi ad illud docendi munus acceſſerint. Porrò diuino ſuo verbo certos nos fecit, ſi eos qui ab ipſo miſſi ſunt, audiamus, Deum ipſum nos audire: ſi eos ſpernamus, Deum ipſum nos ſpernere. En quomodo diuina vocatio, & miſſio faciat, ad excludēdos in mentibus fidelium errores, & omnes dubitationum fluctus repellendos: ita vt ſine hoc, nihil certum apud fideles & indubitatum eſſe poſſit.

Obiectio Arrianorum diluitur, dicentium, ſatis eſſe miniſtris, ſi ea doceant, quæ Apoſtoli docuerunt.

Dicent Arriani ſatis eſſe, ſi Miniſtri doceant ea quæ Apoſtoli docuerunt: docere autem ea poſſe abſq; vlla vocatione. At credibile id eſſet, ſi certo conſtaret, quæ Apoſtoli docuerunt, ab iſtis quoque eadem eodemque ſenſu doceri. At cùm Hæretici omnes iactent ſe ea docere, quæ Apoſtoli docuerunt, & nihilominus falſa & pugnantia doceant; quis non videt, eam non eſſe certam aſſequēdæ veritatis viam, ſi quis ſolùm dicat ſe Apoſtolicam doctrinam tradere? Vnde enim conſtabit ipſos non mentiri, cùm ſuam doctrinam pro Apoſtolica venditant? Nam ſi dicant, probare ſe id ex ſcriptis ipſis Apoſtolicis, id facilè refellitur. Nam etſi de verbis Apoſtolicis conſtet; de ſenſu tamen

grauis oritur controuerſia: ita vt ſæpè accidat, ex iiſdem verbis contrarios planè ſenſus, & ſententias colligi à diuerſis. Nam ex illis verbis; *Hoc eſt corpus meum*; Catholici veram & realem corporis Chriſti præſentiam colligunt: Caluiniſtæ & Arriani contrarium planè inferunt: vtriq; verò ſuam ſententiam Apoſtolicam prædicant. Qui ergo fieri poteſt, vt fidelis in medio harum opinionum poſitus, hanc potiùs quàm illam eſſe Apoſtolicam doctrinam credat, cùm vtraq; rationum momentis ex ſcriptura petitis corroboretur. Nam ſi fidelis ſuo iudicio diſcernere id debeat, cur potiùs hoc quàm illud iudicium ſequetur? ſi verò diſcernere non poſſit, erit paruulus fluctuans, & circumferetur quouis vento doctrinæ. Quare ſingulare medium eſt, ad omnes opinionum & dubitationum fluctus tollendos, quod hic Diuus Paulus tradit, eos audire docentes, quos Deus vocatione ſua & miſſione ad id munus deſtinauit; neq; enim Deus voluit oues, ſuis Paſtoribus ſapientiores eſſe, neq; de doctrina Paſtorum ſuorum iudicare: ſed eos reuerenter audire, & eorum verbum, non vt verbum hominum, ſed vt Dei verbum accipere.

Verùm non ſolùm ex ſcripturis conſtat, Miniſtros à Deo Eccleſiæ dari; ſed etiam eoſdem ad id munus dignè obeundum conſecrari, vt vel ex eo manifeſtum ſit, Miniſtrorum Eccleſiæ officium, diuinum quoddam Dei opus, & donum eſſe, & à Dei gratia ac benedictione pendere. Etenim cùm Chriſtus mitteret Apoſtolos ſuos cum Diuina illa poteſtate peccata remittendi, ait: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Nimirum remiſſio peccatorum, res tam diuina eſt, vt nō niſi Spiritus ſancti virtute perfici poſſit. Nam etiamſi ſectariorum opinio vera eſſet, remiſſionem peccatorum hoc loco ſolùm ad prædicationem ſpectare: tamen ex hoc loco adhuc conſtaret, Chriſtum Miniſtros ſuos, vt dignè munus ſuum exequantur, Spiritu ſancto communire: vt negari non poſſit Miniſtrorum vocationem à Deo dependere, ipſos ad munus miniſterii ſanctificante.

III. Miniſtros non ſolùm vocari, ſed & conſecrari Scriptura docet.

Neq; dici poteſt, Apoſtolis quidem Spiritum ſanctum collatum eſſe, aliis minimè. Nam quemadmodum illi Spiritu ſancto ad remittenda peccata eguerunt; ita & alii indigent, qui ad idem remittendorum peccatorum munus vocantur. Et ſicut poteſtas remittendi peccata, non pro ipſis tantum Apoſtolis inſtituta eſt, ſed etiam pro aliis Eccleſiæ Miniſtris: ita & Spiritus ſanctus, ad dignè tali poteſtate v-

Non ſolis Apoſtolis Spiritum S. collatū eſſe, ſed & aliis, & quæ huius rei ratio.

tendum, aliis etiam Miniſtris communicari debet: neq; enim primæ tantùm illi Ecclesiæ prouidit Deus, ſed omni deinceps Eccleſiæ, quæ ad finem vſq; mundi duratura eſt. Quocirca & Apoſtoli, cùm Miniſtros Eccleſiæ impoſitione manuũ ordinabant, eam Spiritus ſancti gratiam in ipſa ordinatione & conferebant, & ab ordinatis agnoſci volebant, & vt ad opus deduceretur, vehementer vrgebant. Nam Actô: 13. 2. iubente Spiritu ſancto, vt Paulus & Barnabas ſegregarentur in opus ad quod tunc à Spiritu ſancto vocabantur, ii qui erant de Eccleſia, nolebant eos niſi conſecratos & ſanctificatos dimittere. *Ieiunantes enim & orantes, imponenteſq́; eis manus,* (qua cæremonia Spiritus S. conferebatur) *dimiſerunt illos*: ita, vt ad vocationem diuinam, ſacramentum ordinationis, & impoſitionis manuum, Deo ſic ſtatuente, accedere debuerit. Paulus verò Timotheum quem Epiſcopum impoſitione manuum ordinauerat, id præcipuè monet, *vt non negligat gratiam ſibi datam per Prophetiam, cum impoſitione manuum presbyterij.* Tim: 4. 14. quod nimirum ea cæremonia non inanis fuerit, ſed diuinæ gratiæ plena, ad munus illud Epiſcopale dignè obeundum. Quod idem facit 2. Timot: 1. 6. admonens Timotheum, *vt reſuſcitet in ſe gratiam Dei, quæ eſt* inquit, *in te per impoſitionem manuum mearum.* Quibus verbis manifeſtè indicat, Miniſtros Eccleſiæ in ſua ordinatione ſanctificari Spiritus ſancti gratia, ad id ſpeciali ratione illis conceſſa, vt miniſterio ſuo dignè fungi poſſint.

Exempla Apoſtolorum, qui iis quos ordinabant, Spiritum S. dabant, per impoſitionem manuum.

Ex quo intelligitur Miniſtros Eccleſiæ non ſolùm vocatione Diuina, ſed etiam ſanctificatione egere; eoſque qui nec vocati à Deo ſunt, neque conſecrati, Miniſtros non eſſe, cùm Deus ipſe Miniſtros Eccleſiæ ſuæ & conſtituat, & ſanctificet: vnumque ex duobus ab Arrianis concedendum eſt; aut nullum officium publicum Miniſtrorum in Eccleſia eſſe, contra ſcripturas manifeſtas, quæ Eccleſiam non ex ſolis ouibus, ſed tam ex ouibus, quàm ex paſtoribus conſtitutam nobis proponunt, (alioqui fideles, eſſent oues ſine paſtore, & ſine vlla regiminis forma ſeipſos, vt cuique videretur, regentes) aut certè ſi talia officia admittantur; ea ſine Dei ſingulari vocatione & ſanctificatione non eſſe, vti oſtenſum eſt.

Colligitur qui non ſunt vocati à Deo, & ſanctificati, eos Miniſtros non eſſe.

Tria ſcripturæ teſtimonia de vocatione & miſſione Miniſtrorum expenduntur, & à calumniis Arrianorum vindicantur. Cap: II.

IN Nodo Gordio tribus præcipuè ſcripturarum teſtimoniis vrgebamus

mus aduerſarios, ad vocationis & miſſionis diuinæ neceſſitatem aſſerendam. Primum erat illud in capite quinto ad Hebræos, vbi Paulus ſic ait: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron, ſic & Chriſtus non ſemetipſum clarificauit, vt Pontifex fieret; ſed qui locutus eſt ad eum, Filius meus es tu.* Vbi Paulus docet primùm vniuersè, neminem propria authoritate ſumere ſibi honorem, & officium publicum in Eccleſia, in iis quæ ad Deum ſunt, niſi fuerit vocatus à Deo tanquam Aaron per legitimam ordinationem, & conſecrationem: nefaſq; eſſe quæ Dei ſunt, in Eccleſia ex officio tractare, ſine ipſius Dei voluntate & imperio. Deinde id ipſum Chriſti exemplo oſtendit. Is enim, & ſi eſſet filius Dei, & omnia in ſua poteſtate haberet: noluit tamen à ſeipſo clarificari in munere ſuo pontificali, ſed à Patre, cuius miracula in ſuæ vocationis teſtimonium proferebat, neque ſine illis credi ſibi ab hominibus volebat.

Primus locus ſacræ Scripturæ, quo probatur miſſionum neceſſitas.

Ad hæc reſpondet Volkelius, non agi hoc loco de omni honore, ſed ſolùm de honore Pontificatus & Sacerdotii, qui in lege veteri ad Aaronis, & Eleazari familiam lege diuina adſtrictus erat. At non aduertit in primis Volkelius, Paulum vniuersè proponere, nemini licere vllum honorem, aut authoritatem, in iis quæ ſunt ad Deum, ſibi vſurpare, ſine legitima vocatione, ex eoq; deducere, neq; Pontificatum Aaronicum, neq; Pontificatum Chriſti, ſine vocatione eſſe debuiſſe. Quocirca de honore in communi loquitur, nihil addendo, quod ad Pontificatus honorē ſententiam determinet. Nam quòd in Græco articulus additur, is non determinat honoris nomē ad Pontificatus honorē ante commemoratum: ſi quidem etiam nulla ante facta Pontificatus mētione, idem articulus adhiberi potuiſſet. In commune etiam verum eſt, nemini honorem in Eccleſia licitum eſſe ſibi ſumere ſine legitima vocatione, & qua ratione Pontificatus honorem non licet ſibi ſumere: pari ratione nec alios in Eccleſia honores: hoc enim eſſet ſeipſum aliis temerè præferre, & authoritatem in alios nullo iure vſurpare. Quod vti in nulla Rep. benè ordinata licitum eſt, ita multò minùs in Eccleſia, quæ ab ipſo Deo ordinem habet ſibi conſtitutum. Quare par eſt omnium honorum ratio, in eo, quòd propria authoritate à nemine vſurpari poſſint. Quod verò de honore in communi proponit D. Paulus: pulchrè deinde in particulari ad honorem Pontificatus tam Aaronis quàm Chriſti accōmodat: qui idcircò honorem ſui Pontificatus

Reſponſio Volkelij diluitur.

non ſumpſerunt ſibi, quòd honorem in iis quæ ſunt ad Deum, ſibi aſſumere nemini ſine legitima vocatione liceat.

Paulus ad omnes honores in Eccleſia Vocationē Diuinam requirit.

Sed demus vltrò Volkelio quod vult, dico Paulum à ſimili argumentari. Si enim Pontificatum Aaronicum nulli licuit ſibi ſumere; neq; Chriſtum ſuum Pontificatum ſibi per ſe ipſum ſumere debuiſſe. Quæ probatio à minori ad maius non valeret; (quod enim Aaronicis Pontificibus non licuit, potuit licere Chriſto, qui eſt omni ratione illis maior atq; præſtantior) ſed ratione rem perurget S. Paulus. Honorem enim Pontificatûs, quia honor eſt, non licet cuiquam ſibi ſumere. Quare neq; Aaronicus, neque Chriſti Pontificatus, ſine legitima vocatione aſſumi debuit, ita vt vniuerſalis illa propoſitio: nullum honorem in Eccleſia licitum eſſe cuiquam ſibi ſumere, vel expreſſè, vel tacitè in argumentatione Pauli contineatur. Et ſanè ſi Volkelius credit aliquos honores Eccleſiaſticos licitum eſſe cuiq; ſibi vſurpare: abſurdè, & contra omnem rationem loquitur. Quis enim ferat in vlla communitate officia publica ſibi vſurpantem, & ſe aliis temerè præponentem? ſi verò id non credit: concedat oportet, Miniſtrorum in Eccleſia Dei publica officia, temerè & ſine legitima vocatione vſurpari non poſſe: id enim vrget Pauli ratio ab exemplo, ſi enim nemini licuit honorem Pontificatus Aaronici ſibi ſumere: neq; Chriſtus honorem ſui Pontificatus ex ſeipſo debuit ſumere, ſed ex Deo: neq; vlli alteri quemuis honorem licebit eodem exemplo ſibi ſumere. Cùm igitur Miniſtrorum in Eccleſia ſit honor quidam & prælatio: non licebit vlli honorem miniſterii ſine legitima vocatione ſumere.

Neq; valet quod Volkelius pro ſe adducit, Miniſtros Arrianos Pontificatum, (de quo ſolo hoc in loco agitur) ſibi non arrogare. Nam qua ratione non licuit cuiquam Pontificatûs honorem ſibi arrogare; eadem ratione nullum alium honorem in Eccleſia licebit arrogare, ſi vera eſt ratio Pauli. Par enim eſt (quo ad hoc) honorum omnium ratio. Siquidem temerarium eſt publicos honores, & officia ſine vllo iure vſurpare, & ſeipſum aliis præficere. Quod ſi lege diuina ſtatutum fuit, ne Pontificatus Aaronicus cuiq; niſi per legitimam ordinationem, & conſecrationem obtingeret: ſimilis lex habetur in nouo Teſtamento: vt Miniſtri Eccleſiæ manuum impoſitione conſecrentur, & Spiritum ſanctum ad munus ſuum ritè obeundum accipiant. Nam quod Volkelius ait, nemini tunc ad miniſtrandum accedere licuiſſe,

Digitized by Google

re licuiſſe, niſi Leuita eſſet; verum id eſt: ſed neq; Leuitis ſine alia vocatione, & conſecratione licuit Pontificatum adire.

Alterum teſtimonium eſt, Rom: 10. 15. *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* Si enim Diuus Paulus modum non inueniebat, quo id fieri poſſit, vt quis prædicationis officium aſſumat, niſi mittatur: quis dubitare poterit, miſſionem legitimam ad prædicationis munus dignè obeundum neceſſariam eſſe?

Alter locus Diui Pauli, quo neceſſitas miſſionis probatur.

Reſpondet Volkelius, locum Pauli de prima illa prædicatione Apoſtolorum accipiendum eſſe. Cùm enim Apoſtoli nouam, & inauditam doctrinam afferrent, debebant oſtendere ſe diuinitus miſſos eſſe; alioqui fides illis habita non fuiſſet, id verò aliis deinceps miniſtris nō eſt neceſſarium: cùm iis ſatis eſſe debeat, quòd ea prædicent, quæ ab Apoſtolis diuinitus miſſis, antè prædicata ſuêre.

Reſponſio Volkelij.

At fallitur Volkelius. Qua enim ratione primis illis prædicatoribus Euangelii ſine diuino teſtimonio credi non debuit: eadem ratione nec aliis Miniſtris credi poterit, etiamſi ea prædicare ſe iactitent, quæ ab Apoſtolis prædicata ſunt. Quid enim, ſi in eo, in quo ſe iactitant, mentiantur? Etenim cùm Miniſtri Arriani, Chriſtum non eſſe verum Deum, ex Apoſtolorum doctrina prædicant, totus mundus illos mendacii coarguit, qui totis his mille ſexcentis annis, ex doctrina Apoſtolorum, Chriſtum eſſe Deum verum credidit, credetq; in poſterum ſemper, quamuis rumpantur, & crepent Arriani. Non igitur ſatis eſt Miniſtris ad hoc, vt credi ipſis debeat, ſi nudis verbis iactitent ſe doctrinam Apoſtolorum prædicare: hoc enim quiuis Hæretici faciunt: alioqui credant Arriani, Miniſtris Lutheranis, & Caluiniſtis, qui naturam Chriſti diuinam multò veriùs ex ſcriptis Apoſtolorum docent, quam vnquam probare potuerint Arriani. Quod ſi illis aſſentiri nolint: fateantur oportet, non ſatis eſſe ad authoritatem prædicatori conciliandam, ſi dicat ſe Apoſtolorum doctrinam docere: ſed miſſionis præſidio, & teſtimonio opus habere, vt fidem ſuæ prædicationi conciliet. Et hoc eſt quod ait Paulus: *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* Quantumuis enim veriſſima prædicet: niſi tamen fidem faciat, ſe ex eorum numero eſſe de quorum fide dubitare nefas ſit, (quod ex teſtimonio diuinæ miſſionis habetur) fieri non poterit vt ei fides ab auditoribus habeatur. Facilè enim inducet ſibi in mentem auditor, eum vel errore decipi poſſe, vel ex malitia velle alium decipere: niſi conſtet

Non ſufficit ſi Miniſtri dicant ea ſe prædicare, quæ & Apoſtoli.

Licet quis vera prædicet, ſi non miſſus ſit, fidem non meretur.

ſtet authoritatem ipſius eſſe minimè dubiam. Falſum igitur eſt, quod ait Volkelius, non teneri Miniſtros Arrianos miſſionis ſuæ legitimum teſtimonium oſtendere, ad hoc vt legitimi prædicatores habeantur. cùm id æquè primis Euangelij prædicatoribus, vti omnibus aliis neceſſarium ſit, vt ſuæ prædicationis fidem, miſſionis legitimæ teſtimonio adſtruant. Nam vt primi prædicatores ſe non falſa prædicare teſtimonio diuinæ miſſionis probare debuerunt; ita conſequentes prædicatores probare debent ſe non fallere, cùm ſuam doctrinam pro Apoſtolicâ haberi volunt. Id quod non ſatis probant, ſcripturas per ſcripturas exponendo. Cùm idem Hæretici omnes faciant, & viciſſim ſe exagitent, quòd mendaciter & fallaciſſimè ſcripturas per ſcripturas interpretantur; & vt minimùm auditores imperiti & ſimplices, de ea re, iudicium ob ignorantiam facere non poterunt, ſiue vera aſſerat prædicator, ſiue non. Debent igitur neceſſariò ad miſſionis præſidium recurrere, quo ſi legitimè muniti ſunt, pro prædicatoribus non dubiæ fidei habebuntur.

Paulum non ſolùm de primis prædicatoribus loqui.

Iam quod Volkelius aſſerit Paulum ſolùm de prima prædicatione Euangelij, & primis illis Euangelij prædicatoribus loqui, falſiſſimum eſt. Nihil enim tale indicat, ſed vniuerſè docet; quomodo tam Iudæi, quàm Gentiles, Deum inuocare, & in eum credere poſſint; non illo tantùm Apoſtolorum tempore, ſed omnibus ad finem vſque mundi temporibus. Sic enim ait: *Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Quomodo ergo inuocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient, ſine prædicante? quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur?* Quis non videt hæc vniuerſè ad omnes omnium temporum homines, & omnium temporum prædicatores pertinere? Annè ad omnes omnium temporum homines non pertinet inuocare nomen Domini, credere, audire verbum Dei? Cur igitur etiam ad omnes omnium temporum prædicatores non pertineat prædicare, & mitti? Quod ſi D. Paulus hæc illis primis temporibus fidei accõmodat; non eapropter id facere credendus eſt, quòd illis ſolùm temporibus ſeruiant: ſed quòd ea, quæ omnibus temporibus ſeruiunt, illis quoque primis Euangelij temporibus rectè accõmodari poſſunt.

Tertium teſtimonium eſt Ier: 23.21. vbi Deus conqueritur de Prophetis, in hunc modum: *Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant; non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant.* Si Deus caput querimoniæ ſuæ in eo

ponit,

Digitized by Google

ponit, quòd non miſſi à Deo cucurrerint, & quæ Deus locutus non fuerat, prædicauerint; an non luce clariùs eſt, tales prædicatores, qui non legitimè ſint miſſi, Deo nõ ſolùm non probari, ſed etiam furorem ac indignationem diuinam prouocare; de qua ibidem dicitur verſ: 19. *Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur, & tempeſtas erumpens ſuper caput impiorum veniet.*

Huic teſtimonio non habet quod opponat Volkelius: niſi quòd de iis Prophetis intelligendum ſit, qui ſe à Deo miſſos nominabant, cùm miſſi non eſſent. Quod miniſtris Arrianis negat conuenire; cùm illi ſe miſſos à Deo non fateantur, nec vllam miſſionem ſibi arrogent. At more ſuo non rectè verba ſacræ ſcripturæ expendit: Duo enim obiicit iſtis Prophetis Deus: & quòd currerent ipſi per ſe, cùm non eſſent miſſi: & quòd dicerent ſibi Deum locutum eſſe, cùm Deus non loqueretur ad eos; ita vt hæc duo ſint diuinæ querimoniæ capita. Non igitur ſolùm, quòd ſe dicerent eſſe à Deo miſſos, reprehenduntur, ſed etiam abſolutè quòd currerent, hoc eſt, ipſi ſe ad docendum populum obtruderent: hoc enim vox currendi denotat, dum apponitur miſſioni. Quod caput querimoniæ optimè in Miniſtros Arrianos conuenit, qui per ſuam impudentiam ſe in officium Miniſtrorum ingerunt, cùm manifeſtè fateantur ſe non eſſe à Deo miſſos. Nam vt olim in lege veteri, ſi quis non Leuita ad miniſtrandum accederet, decreto Dei *Num: 4. 15.* morti addicebatur, quòd alienum officium illegitimè vſurparet; ſimiliter & qui tangeret vaſa ſanctuarij, vel ex curioſitate ea videret quæ erant in ſanctuario, antequam inuoluerentur. Vnde & Azarias ſacerdos grauiter reprehendit Oziam regem, eò quòd adolere voluerit incenſum ſupra altare Thimiamatis: *Non eſt*, inquit, *officij tui Ozia, vt* *2. Paral. 26. 18.* *adoleas incenſum Domino; ſed Sacerdotum, hoc eſt, filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad huiuſmodi miniſterium. Egredere de ſanctuario, ne contempſeris, quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo*: ita & in lege noua, qui Miniſtrorum Eccleſiæ officia, quæ Deus ipſe ſe dare, & conſtituere profitetur, ſine legitima vocatione & miſſione vſurpant: eidem diuinæ indignationi ſubiecti eſſe exiſtimandi ſunt. Ex quibus patet, Volkelium nihil aliud in his tribus teſtimoniis refellendis effeciſſe, quàm vt ipſorum lux magis eniteret, & miſſionis neceſſitas pateret magis.

Digitized by Google

Miniſtros qui legitimè miſſi non fuerint, dici in ſcriptura adulteros, falſos Prophetas, lupos rapaces, fures & latrones, Antichriſti ſectatores.

CAP: III.

NON contumelioſa videri debet ea appellatio, cuius Deus ipſe author eſt. Et verò qui ſecum expenderit, quantum Eccleſiæ in eo poſitum ſit, vt legitimos Paſtores, & Doctores habeat, hoc eſt, à Deo miſſos; quippe à quorum poteſtate & miniſterio ſalus, & vita æterna fidelium magna ex parte dependeat: is procul dubio intelliget, eos grauiſſimè in Deum, & Eccleſiam eius peccare, qui cùm miſſi non ſint, officium Paſtorum, & Miniſtrorum Eccleſiæ vſurpant. Quocirca Deus illos paſſim verbis grauiſſimis inſectatur. Apud Hieremiam loco citato, adulteros vocat. Vt enim qui ad alienam ſponſam accedit, adulter cenſetur; ita & Paſtores, ac Doctores, qui legitimè miſſi non ſunt, quia nullo iure ſponſæ Chriſti, hoc eſt Eccleſiæ, iunguntur, adulteri cenſendi ſunt.

Miniſtri non miſſi, adulteri.

Apud Matthæum verò capite 7. & *falſi prophetæ, & lupi rapaces* nominantur. Ne verò dubium eſſet, quòd tales eſſent, additur: *qui veniunt ad vos.* hoc eſt, ſponte ſua veniunt, non à legitima poteſtate miſſi; ea verba rectè inter cæteros expendit Auguſt: 2. lib. contra aduerſarium legis, cap: 4. Et quidem ſi falſus iudex eſt, aut conſul, qui nullo iure iudicij aut conſulis officium ſibi arrogat: cur non falſus propheta, aut miniſter dicatur, qui nullo legitimæ miſſionis iure officiũ Prophetæ, aut Miniſtri ſibi vendicat? Porro Prophetæ apud Iudæos non ſolùm ij dicebantur, qui futura prædicebant; ſed & ij qui populum pro officio docebant. Si igitur non ſolùm tunc falſi ſunt, cùm falſa doceant: ſed & cùm falsò tales ſe exhibent, quales nullo iure ſunt. Quos etiam lupos rapaces eodem in loco meritò nominat Chriſtus, quòd luporum more perniciem ouibus Chriſti afferant, ſimulata quam non habent, officij poteſtate. Hac enim via omnes Hæreſes irrepſerunt in Eccleſiam Dei.

Falſi Prophetæ.

Lupi rapaces.

Grauiùs verò perſtringuntur à Chriſto Ioannis cap: 10. dum *fures, & latrones* appellantur, quòd *non intrent per oſtium, ſed aliunde.* Cùm enim intrant fures, ſunt occulti: poſtquam intrârunt, fiunt latrones publici, virus quod ante occultabat euomentes. Et ſanè Dominus noſter, qui

Fures & latrones.

qui in omnes mitiſſimus ſemper fuit, *linum fumigans non extinxit, arundinem conquaſſatam non confregit*; in ſolos miniſtros falſos, ita dicendo aſper & ſeuerus extitit, vt eos ferre non poſſet: quòd rectè intelligeret eos Eccleſiæ ſuæ, quam ille præ omnibus chariſſimam habet, certam peſtem, & interitum afferre. Sic igitur aduerſus eos pronunciat: *Amen, amen dico vobis, qui non intrat per oſtium in ouile, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro: qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ouium. huic oſtiarius aperit, & oues vocem eius audiunt.* Quæ Chriſti oratio, non dubium eſt, quin ſpectet ad paſtores intrantes in ouile more furum, & latronum, non per oſtium, ſed aliunde, hoc eſt, illegitima via. Porrò, etſi variis modis illegitimis intrari poſſit ad ouile Chriſti: vnus tamen & præcipuus modus eſt, ſine legitima vocatione & miſſione intrandi; de talibus enim Deus conqueritur, apud Hieremiam, tum capite 14. 15. tum 23. 21. Etenim porta ordinaria qua intrari Deus vult ad oues ſuas eſt illa, quam oſtiarius, qui vocandi & admittendi poteſtatem habet, aperit; & qui per eam intrat, per Chriſtum intrat; Chriſto eum intrandi modum indicante: ea enim de cauſa ſe oſtium huius ouilis appellat, vti inter cæteros D. Auguſt: lib: 16. contra Fauſtum 12. & libro 2. contra Aduerſarium legis. cap: 4. & Hieronymus lib: 2. aduerſus Pelagianos interpretantur.

Iſaia 42. ỽ. 3.

Ioan: 10. ỽ. 1.

Non intrãt per oſtium.

Quod etiam res ipſa loquitur; hi enim qui miſſi non ſunt, non intrant per oſtium, hoc eſt, per communem paſtorum portam, quam ſcriptura indicat, cùm docet Paſtores à Deo dari, & conſtitui; non verò ipſos ſumere ſibi honorem. Non intrant etiam per Chriſtum: quia non ea ratione intrant, qua Chriſtus intrari præcepit. Iſtis etiam oſtiarius non aperit, ſiue oſtiarius cum Auguſt: intelligatur Spiritus ſanctus, ſiue ordinarij Eccleſiæ paſtores, & cuſtodes Dominici gregis; quia ſine Spiritûs ſancti vocatione, & ſine approbatione ordinariorũ Eccleſiæ paſtorum, ad quorũ officium admittere prædicatores ad ouile Chriſti pertinet, ingrediuntur. Hinc verò fit, vt oues vocem eorum ſecurè non audiant, nec ſciant vocem eorum: cùm illos à Deo ſibi datos Doctores & Paſtores non agnoſcant: quocirca & verbum ex ore ipſorum, vt verbum hominum, non vt verè verbum Dei eſt, accipiunt: vt potè de quorum fide & authoritate perſuaſum id non habent, quòd non alio ſenſu, quàm quem Spiritus ſanctus intendit, verbum Dei doceant, & interpretentur.

Oſtiarius quis?

Digitized by Google

Euaſio aduerſariorũ friuola.

Friuola verò eſt euaſio aduerſariorum, hos omnes titulos in ſcriptura commemoratos, ad eos tantùm ſpectare, qui ſe miſſos iactitant, cùm miſſi non ſint. Id quod Miniſtris Arrianis non conuenit, qui expreſſè affirmant ſe non eſſe miſſos, nec vlla miſſione egere. Et ſi enim verum ſit hos titulos ad eos etiam ſpectare, qui ſe miſſos prædicant, cùm miſſi non ſint: tamen non ad eos ſolos pertinent, ſed illos etiam complectuntur, qui ſe miſſos non aſſerunt; officia tamen eorum, qui ſunt legitimè miſſi, vſurpant. Tales enim etſi non verbis, factis tamẽ & operibus loquuntur ſe miſſos eſſe, cùm ea faciunt, quæ ſine miſſione facere nefas eſt. Neque enim illorum qui ſe falsò miſſos aſſerunt, peccatum in eo ſolum eſt, quòd falſum dicunt: ſed etiam quòd eam rem temerè aggrediantur, quam ſine legitima miſſione aggredi non licet. Hoc verò etiam in Miniſtros Arrianos conuenit, qui miniſtrorum & paſtorum Eccleſiæ munus, quod Chriſtus ſibi & magiſtratui à ſe in Eccleſia conſtituto reſeruauit; ipſi per ſe, & nullo iure ſibi aſſumunt. Nam & qui ſacerdotum munus in lege veteri vſurpabant, non ſolùm tunc peccabant, cùm ſe ſacerdotes mentirentur; ſed etiam cũ ſe agnoſcerent non ſacerdotes, ea tamen quæ ſacerdotum erant temerè obirent.

Antichriſti nota eſt, nõ eſſe miſſum.

Iam verò cùm Chriſtus Ioannis 4. 43. ſe hac nota ab Antichriſto diſcernit, quòd ipſe in nomine Patris ſui venerit, à Patre miſſus; Antichriſtus autem venturus ſit in nomine ſuo: an non manifeſtè oſtendit, eos qui in nomine ſuo veniunt à nullo legitimè miſſi, Antichriſti eſſe ſectatores, non Chriſti? *Ego*, inquit, *veni in nomine patris mei, & non accipitis me, ſi alius venerit in nomine ſuo,* (id eſt Antichriſtus iuxta communem Patrum interpretationem) *illum accipietis.* Vbi quemadmodum in nomine Patris venire, idem eſt quod mitti à Patre; ita in nomine ſuo venire, & à ſe ipſo mitti, & alium ſuæ miſſionis authorem non agnoſcere. Quæ cùm ſit Antichriſti venturi nota, viderint cuius ſectatores ſint, qui eam ſibi faciunt cum Antichriſto communem. Quod ſi ad eam notam euadendam interpretari malint Chriſti verba, de iis Doctoribus, qui non miſſi veniunt, potiùs quàm de Antichriſto: ne ea quidem ratione ſe tueri poterunt. Neque enim Chriſtus probat, ſed improbat potiùs talem modum veniendi, in nomine ſuo non Dei: quemadmodum enim Benedictus dicitur, qui venit in nomine Domini; ita procul dubio maledictus cenſendus eſt, qui in ſui, non in

Digitized by Google

Domini nomine venit, de quo tamen Miniſtri Arriani non minus imperitè quàm impudenter gloriantur.

Viderit igitur Volkelius, quàm honorificos titulos ſibi ſuiſque Miniſtris accerſat, cùm eos à miſſione liberos facit, & ſine miſſione Miniſtrorum officia obire liberum concedit. Nam ſi illi qui ſe falſò miſſos affirmant, ſacrilego mendacio ſe obſtringunt, quanto magis ſunt ſacrilegi Miniſtri Arriani, qui factis id ipſum loquuntur? Et illi quidem non eo ſolum nomine reprehenſione digni ſunt, quòd ſe miſſos mentiantur, ſed potiſſimum quòd cùm miſſi non ſunt, ea faciunt ad quæ illos mitti oportuit. Arriani verò etiam in hoc illis deteriores ſunt, quòd miſſionis honorem omnem, & neceſſitatem tollunt, quem illi vtcunque cognoſcunt, & magnifaciunt. Summa igitur rei eſt; aut falſum eſſe Miniſtros & Paſtores à Deo dari, quod ſcriptura affirmat; aut falſum erit, quod Arriani aſſerunt, Miniſtros Dei vocatione & miſſione non egere.

Volkelium contra omnem rationem negare Miniſtros Eccleſiæ vocatione & miſſione egere. *CAP: IV.*

NON ſcripturis ſolùm, ſed etiam rationi repugnat, quod Volkelius cum ſuis Arrianis aſſerit, Miniſtris nulla vocatione aut miſſione opus eſſe. Etenim ſi id Volkelius in Republica aliqua ordinata pronunciaret: vt fatuus ab omnibus exſibilaretur, & exploderetur. Quis enim ferat publica ciuitatis aut Reipub. munia, à quouis ad libitum vſurpari, ſine vlla Magiſtratûs, aut Principis authoritate? Id ſi ita eſſet, plena confuſionis eſſent omnia; quilibet eſſet omnia, Conſul, Iudex, Tribunus, Gubernator, quilibet quælibet officia adminiſtraret. Quod ſi id in bene inſtituta Republica ferendum non eſt; quomodo fieri poteſt, vt in Chriſti Eccleſia ſummo ordine à Chriſto inſtituta (quæ idcircò caſtrorum acies ordinata dicitur) *Cant: 6.* ferri debeat? Vnum ex duobus affirmare Arrianos oportet; aut Miniſtrorum in Eccleſia officia publica non eſſe; aut ea minimè licere paſſim ab omnibus vſurpari, nulla à Deo, & eius Magiſtratu in Eccleſia conſtituto, facta poteſtate.

Ait Volkelius; ſi Miniſter ſit aptus & idoneus ad docendum, *1.*

Digitized by Google

Approbatio auditorum, non ſufficit ad creandum Miniſtrũ. & auditores velint illum audire, poſſe ſine alia poteſtate & miſſione, miniſterij officio fungi. Præclarè ſanè. Si enim auditores hominem Hæreticum audire conſentiant, pro paſtore lupum; erit Volkelij ſententia, & Hæreticus legitimus Miniſter, & lupus paſtor. Quod ſi hi Miniſtrum Arrianum audire malint, alij Caluiniſtam, alij Lutheranum, aut Huſſitam (ſcinditur enim incertum ſtudia in contraria vulgus) num omnes iſti erunt Miniſtri legitimi? Nam ſinguli ſe idoneos ab verbum Dei prædicandum non negabunt. Quod ſi in ciuitate, aut Repub. minimè liberum eſt cuique, quem vult iudicem ſibi ſtatuere, ſed ille eſt communis omnium iudex, qui à legitima poteſtate omnibus præficitur: alioqui ſi placito cuiuſque pro ſingulis, ſinguli iudices ſtatuerentur; eſſet ea ratio maximè expedita ad omnia iudicia declinanda, & iudices eludendos. Quanto minus id in Eccleſia permitti debet, vt is legitimus paſtor ſit, qui placito vniuſcuiuſque talis eſſe cenſeatur. Sic enim omnibus lupis, atque Hæreticis acceſſus ad ouile Chriſti pateret. Vt enim vulgus imperitum eſt, & errorum magiſtri ad plauſum facilè ſe accommodant; faciliùs inuenirentur, quibus errores & errorum magiſtri placerent magis, quàm veri prædicatores, fieretque vt pax, & vnitas religionis in Eccleſia conſeruari non poſſet. Talem verò licentiam inuehunt Arriani in Eccleſiam Dei, liberum cuique relinquendo pro ſua licentia Euangelica, quemcunque prædicatorem, & paſtorem admittendi, eique ſe, ſi, & in quantum placuerit ſubmittendi.

At dixerit quiſpiam, poſſe populum & communitatem præficere ſibi Iudicem, aut Principem quem voluerit: ergo & populus Chriſtianus poterit præficere ſibi paſtores, & prædicatores quos voluerit. Huic reſpondendum eſt. In primis id non licere in ea communitate, quæ Principem ſuperiorem agnoſcit, niſi ipſius authoritas acceſſerit. Talis eſt Eccleſia Dei, quæ Chriſto Regi ſuo ſubiecta cùm ſit, non poteſt niſi eius poteſtate Miniſtros conſtituere. Deinde aliam eſſe rationem Ciuilis & Eccleſiaſticæ gubernationis. Nam Ciuilis gubernatio humana eſt, & ab hominibus tota dependet. Eccleſiaſtica verò gubernatio Diuina eſt, cùm & à Chriſto inſtituta ſit, & ſolius Chriſti poteſtate nitatur. Quare etſi homines Ciuilem poteſtatem, ei quem elegerint conferre poſſint; non tamen poſſunt conferre Eccleſiaſticam, ſed Chriſti inſtitutioni ſtandum eſt, vt modo ab ipſo ordinato, fiant

Diſcrimẽ Magiſtratus Ciuilis & Eccleſiaſtici.

Digitized by Google.

to, fiant & conſtituantur paſtores. Inſtituit autem Chriſtus paſtores Eccleſiæ ſuæ, vt à Deo dentur, & ad ſuum munus obeundum Spiritũ ſanctum accipiant: vt non ſinguli ſint ad placitum cuiuſque, ſed quos ſupremi paſtores, & rectores Eccleſiæ conſtituerint; vbi & Paulus Titũ, ac Timotheum conſtituit Epiſcopos, & iiſdem ordinauit, vt per omnes ciuitates conſtituerent Presbyteros, & Paſtores. Non igitur eſt in poteſtate cuiuſque paſtorem ſibi conſtituere: quia non eſt cuique integrum, ſpiritualem officij poteſtatem paſtori ſuo conferre, ſed eam is à Deo, vel ab Epiſcopis Eccleſiæ, acquirere debet.

At totus aduerſariorum error eſt in eo poſitus, quòd nullam credant ſpiritualem poteſtatem Miniſtris Eccleſiæ ineſſe: quapropter poſſe ſine vlla tali poteſtate ſibi collata, Miniſtrorum officio fungi. Quod cùm exiſtimant, videntur in media luce non videre. Si enim Miniſtri Eccleſiæ ſunt paſtores non corporum, ſed animarum; *peruigilant enim tanquam rationem pro animabus Deo reddituri.* Hebr: 13. quis non videt ius & poteſtatem in animas ſpiritualem eſſe, ac proinde ſine poteſtate ſpirituali, paſtorum officium non conſiſtere? Ea itaque poteſtate obligare poſſunt fideles ad ſibi obtemperandum, & præcepta ſua obſeruanda, in iis omnibus quæ ad rectum ordinem & gubernationem Eccleſiæ ſpectant: tum quòd lege diuina ſtatutum eſt, vt obediatur præpoſitis, & paſtoribus, Hebr: 13. ita vt qui eos audiat, Deum audiat; qui eos ſpernat, Deum ſpernat, Lucæ 10. tum quòd ſine tali poteſtate, nulla gubernatio ritè inſtitui poteſt; niſi enim cogi ſubditi ad officium poſſint, & delinquentes puniri, irritus erit omnis labor in gubernando ſuſceptus.

Miniſtrorum poteſtas ſpiritualis.

1. Poteſtas animarum.

2. Poteſtas obligandi in conſciẽtia.

Dicent fortaſſe, non poſſe paſtores imponere noua præcepta præter ea, quæ ſunt à Chriſto impoſita: punire verò ea ſolùm ratione poſſe, ſi pœnam illam æternam à Deo infligendam proponant. At vtrũque refellitur. Nam Eccleſiæ paſtores, non ſolùm diuinorum præceptorum executionem vrgere poſſunt, proponendo pœnas futuras à Deo infligendas; ſed etiam præcepta ad rectum ordinem & gubernationem ſpectantia ſtatuere, & delinquentibus pœnas non æternas ſolummodò minari, ſed & temporales infligere. Ita enim Dominus Ieſus Matt: 18. Eccleſiæ faciendum præcepit, vt ſi quis Eccleſiam paternè corripientem non audiuerit, eiuſque præceptis contumax repertus fuerit, excommunicetur; & tanquam ethnicus, & publicanus ab omnibus ha-

3. Poteſtas puniendi.

bus ha-

Digitized by Google

bus habeatur. Vt autem quantum ſit in hoc poſitum oſtenderet, adiecit: *Amen, amen dico vobis, quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata in cælo.* hoc eſt, Deus rata & firma habebit in cælo, quæ vos iudicaueritis in terra. Paulus verò illum Corinthium inceſtu vſum, non pœna ſolùm æterna terruit, ſed & temporali affecit. Cùm *in nomine, & virtute Chriſti, tradidit eum ſatanæ, in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fieret.* 1. Cor: 5. Aduerſus Elimam Magum ſententiam cæcitatis protulit. Acto: 13. 11. Hymeneum verò & Alexandrum *tradidit* ſimiliter *ſatanæ, vt diſcerent non blaſphemare.* 1. Tim: 1. 20. Eos etiam qui verbo ipſius aut epiſtolis nõ obedirent à communione fidelium prohibuit. 2. Theſſ: 3. 11. Petrus verò Ananiam & Zaphiram mentientes in pretio agri, vita priuauit. Actor: 5. 45. Et ſanè ſi in Repub. Magiſtratus delinquentibus ſolùm pœnam æternam proponeret, nec eos pœnis temporalibus afficeret; quis non intelligit, quàm parum ea res ad homines à flagitiis auocandos valeret, & quàm multa omnis generis mala ex ea impunitate, & licentia naſcerentur? Idem planè cogitandum de Eccleſia, ſi ea, quæ à fidelibus delinquuntur, impunita manerent. Quare & Paulus magnum diſcrimen facit inter fideles, & inter eos qui nondum fidem ſuſceperunt. Nam iſtos ait pertinere non ad ſuum, ſed ad Dei iudicium. Fidelium autem ſe iudicem agnoſcit. *Quid enim,* inquit, *mihi de iis qui foris ſunt, iudicare? nonne de iis qui intus ſunt vos iudicatis. Nam eos qui foris ſunt Deus iudicabit.* 1. Cor: 5. 12. Qui igitur poſſunt Arriani Miniſtris Eccleſiæ eam poteſtatem denegare, quam Chriſtus illis contulit, quaq; vſi ſunt Apoſtoli, & ſine qua recta gubernatio inſtitui non poteſt.

4. *Poteſtas noua præcepta imponendi.*

Nam quod ad poteſtatem leges & præcepta imponendi attinet; ea ita eſt cum paſtorum officio coniuncta, vt abſque ea nullo modo paſtores cenſeri poſſint. Paſtorum enim proprium eſt, regere Eccleſiam Dei. Acto: 20. At regere nemo dicendus eſt, qui præcipere non poſſit. Nam is qui ſolùm leges ſcriptas conſeruat vel explanat, doctor potiùs legum, quàm rector & paſtor communitatis dicitur: qui verò poteſtate ſua facit, vt leges ſeruentur, & eorum violatores puniantur; quique ea quæ ad bonum commune, & pacem publicam tuendam ac cõſeruandam neceſſaria ſunt, præcipit; quæ verò ei aduerſa, prohibet: is domum regere meritò dici debet. Iam ſi paſtoribus lege diuina obedientia debetur; obedientia verò ei ſolùm debetur, qui ius præcipiendi habet: an non perſpicuum eſt paſtores ius præcipiendi, & ſuis præ-

ceptis

Digitized by Google

ceptis fideles obligandi habere? id verò ius Paulus non ſemel in ſuis Epiſtolis agnouit, cùm & Corinthios laudat, quòd ſua præcepta tenerent. 1.Cor: 11. & Theſſalon: ſcribens: *Scitis,* inquit, *quæ præcepta dederim vobis.* 1.Theſſ: 4. 2. & 2.Theſſ: cap: 3. 14. ait: *Si quis non obedit verbo noſtro per Epiſtolam, hunc notate, & non commiſceamini cum illo, vt confundatur.* Non eſt autem dubium, Paulum non ea ſolùm præcepiſſe, quæ Deus præcepit; ſed alia non pauca ordinaſſe, tam in vſu Sacramentorum, quàm in moribus fidelium, vt honeſtè & legitimè omnia fierent in Eccleſia Dei. In eiſque omnibus lege diuina fideles illi obedire tenebantur.

Præceptũ Pauli de matrimonio.

Sic de matrimonio fidelis cum infideli, legem propria authoritate tulit; etſi infidelis conſentiat habitare cum fideli, non dimittatur. *Ego,* inquit, *dico, non Dominus.* 1. Cor: 7.12. Sic 1. Tim: 3.2. legem ſtatuit, ne bigami ordinentur. *Oportet,* inquit, *Epiſcopum eſſe vnius vxoris virum, ſimiliter & Diaconum:* quæ lex ſemper in Eccleſia Catholica ſeruata eſt diligentiſſimè. 1.Cor: 11. 10. ordinat, vt mulier in Eccleſia velet caput ſuum, & velato capite oret. Prohibet etiam, ne mulier loquatur, & doceat in Eccleſia. 1.Tim: 2.12. 1. Cor: 14.34. De vſu etiam Euchariſtiæ multa diſpoſuit, vt ipſe fatetur 1.Cor: 11. 14. Apoſtoli etiam in primo ſuo Concilio Actor: 15. legem ferunt, pro Eccleſiis Syriæ, & Ciliciæ: *Viſum eſt,* inquit, *Spiritui ſancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, niſi hæc neceſſaria: vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, à ſuffocato, & ſanguine, & fornicatione.* Quibus verbis agnoſcunt ſe habere poteſtatem ad imponendas leges, & onera, & de facto illis Eccleſiis impoſuerunt legem abſtinendi ab eſu immolatorum ſimulacris, quæ lex non erat diuina, cùm eam ex communi deliberatione, & iudicio impoſuerint; & eo modo, vt ſatis oſtenderent in ſua poteſtate fuiſſe, vel non imponere, vel moderari, & pauciora imponere, quàm impoſuerunt. Et quamuis finis legis eſſet vitatio ſcandali, quòd ad ius diuinum ſpectat; tamen vniuerſè voluerunt adſtringere fideles ad abſtinendum à dictis rebus, in quocunque caſu, etiam tunc cùm nullum eſſet ſcandalum; vt ſic ab omni occaſione ſcandali eſſent magis immunes; quod erat iuris humani. Iure enim diuino tenebantur ab his abſtinere ſolùm in caſu ſcandali: at lege Apoſtolica vniuerſè abſtinere tenebantur, quod meritò imponere poterant Apoſtoli: quia ſic faciliùs ſcandala vitari poterant. Huc ſpectant ea, quæ in Eccleſia Catholica ſanctè ſemper

De Bigamis.

De velo mulierum & ſilentio.

De ritu Euchariſtia.

Præceptũ Apoſtolorum.

Digitized by Google

Lex de ieiunio Quadrageſimæ, de feſtis.

obſeruata ſunt, & ex Apoſtolica traditione proceſſerunt. Talis eſt lex de Euchariſtia à ieiunis ſumenda, de Quadrageſimæ ieiunio, de ritibus Sacramentorum, de feſtorum celebratione, & ſimilibus. Quæ omnia ſatis indicant in Miniſtris & Paſtoribus Eccleſiæ poteſtatem ſpiritualem ineſſe: eamque à Deo conferri iis, qui legitimè ad id munus vocati & ordinati fuerint.

Dæmon Arrianorum Miniſter.

Sed vt magis Arriani ſuæ opinionis abſurditatem perſpiciant, dico ſecundùm ipſorum doctrinam nihil obſtare, quominus Dæmon ſit, haberique debeat apud illos legitimus Eccleſiæ Miniſter; ſi nimirum & ille hoc apud illos officio fungi velit, & ipſi Arriani libenter in eũ conſentiant. Nam & iſta duo concurrere nihil prohibet, & ad Miniſtri ſeu Paſtoris officium nulla alia ſpiritualis poteſtas, nulla Dei vocatio, nulla conſecratio, & ordinatio ex ipſorum ſententia requiritur. Quæ cùm ita ſint, quid prohibet Dæmonem apud ipſos Paſtoris & Epiſcopi officio fungi, eſſeque legitimum ipſorum Eccleſiæ Miniſtrũ; imò omnium Miniſtrorum optimum ac præſtantiſſimum, vt potè qui multò exactiùs loca varia ſcripturæ adducere, & explanare poſſit, ſiue contra Chriſti diuinitatem, ſiue contra Baptiſmi & Sacramentorum neceſſitatem, quàm vllus alius Arrianorum Miniſter.

Miniſtris Euangelicis nemo ſecurè poteſt acquieſcere.

Illud verò quantum abſurdum eſt, ſi Miniſtri Eccleſiæ non ſint à Deo miſſi, fideles nunquam certos futuros, ſe legitimos paſtores, & prædicatores habere, ſemperque meritò dubitare poſſe, an in eo quod docent ipſi non errent, & eos in errorem nõ inducant. Nam licet fortè perſuaſum habeant ſe non errare, tamen iſta perſuaſio eſt ex opinione humana, non ex teſtimonio diuino, & communis eſt omnibus Hæreticis, quos tamen certũ eſt errare, quantumuis ſibi errare nõ videantur.

1. Sine Diuino teſtimonio.

2. Sine ſenſu Spiritus S.

Deinde, etſi Miniſtri Arriani plenis buccis ſcripturas crepent, & ſcripturas per ſcripturas interpretentur: tamen an ſecundùm verum, ſenſum, & à Spiritu ſancto intentum id faciant, probare non poſſunt; nec vllus cordatus poteſt illis prudenter acquieſcere, & fidem dare, ſua enim opinione ſenſum Spiritus S. aſſequi ſe putant, qui quàm ſæpè ſit ab hominum opinione remotus, indicant tot Hæreſum & Hæreticorum monſtra, quorum nullus extitit, qui ſe Spiritus ſancti ſenſum in ſcripturis aſſecutum non exiſtimauerit. Quod D. Petrus optimè cauit, cùm docuit ſcripturam propria interpretatione non fieri, & Hæreticũ quemlibet eſſe proprio iudicio condemnatum.

Longè

Digitized by Google

Longè aliter res habet in iis prædicatoribus, qui ſuam vocationē & miſsionē legitimam probare poſſunt. Iis enim quos Deus mittit, quis dubitet fidem adhibere, & verbum eorum, non vt verbum hominum, ſed vt eſt iurè verbum Dei audire, & Deum in ipſis loquentem agnoſcere, & adorare. Chriſto ipſo atteſtante: *Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit.* Neque enim Chriſtus, cùm nos audire præcepit Paſtores & Doctores à ſe miſſos, decipere nos voluit, & in errorem inducere: ſed potiùs ea ratione certos & ſecuros reddere, ſi eis fidem adhibuerimus; quibus ipſe teſtimonium perhibet veritatis, quod non ſolùm ad illos ſpectare voluit, quos ille immediatè miſit, quales erant Apoſtoli: ſed etiam ad illos, qui ab immediatè miſſis legitima ordinatione, & ſucceſſione deſcendunt; qualis eſt ſucceſſio Romanorum Pontificum, per quam Irenæus ait, confundi omnes Hæreticos lib: 3. & Auguſtinus in Epiſtola fundamenti, cap: 4. Tenet me, inquit, in Eccleſia à ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas ſuas oues Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopum, ſucceſſio Sacerdotum. Et meritò ſanè antiqui Patres, non quamcunque ſucceſſionem, ſed ſucceſſionem Romanorum Pontificum contra Hæreticos vrſerunt. Solius enim Petri Cathedra hoc Priuilegium ex Domini promiſſione accepit, vt ſucceſſione tam perſonarum, quàm fidei, & doctrinæ, nunquam ad finem vſque mundi ſit caritura, nec portæ inferi aduerſus eam ſint præualituræ. Petro tanquam ordinario Eccleſiæ Paſtori, ſpeciali ratione oues ſuas Dominus commendauit, pro eoque orauit, ne deficeret fides eius: eidem tanquam ordinario Eccleſiæ Paſtori, claues regni cælorum, & poteſtatem omnem ligandi & ſoluendi tradidit: quas promiſſiones & priuilegia Chriſti diuina, omnes ſancti Patres, cum vniuerſa Eccleſia Catholica, ad Petrum, & eius ſucceſſores Romanos Pontifices pertinere vnanimi conſenſu omnibus ſeculis docuerunt, vt Sanderi Monarchia, Bellarmini Controuerſiæ, Baronij Annales Eccleſiaſtici, fidem faciunt: vt mirum ſit Sectarios noſtros in tanta teſtium, & teſtimoniorum luce cæcutire poſſe, & homunciones miſeros principibus doctrina & ſanctitate viris, & toti Chriſtianorum orbi audere ſe opponere.

Catholicis paſtoribus ſecurè credūt fideles.

1.

Succeſſio Romanorū Pontificū.

Petri Cathedræ priuilegium.

Arriani ad Euchariſtiam conficiendam nullam in Miniſtro poteſtatem requiri nugantur. CAP: V.

ARriani ne ſuis Miniſtris vllam diuinitus poteſtatem concedant, in ipſa

Digitized by Google

ſtet authoritatem ipſius eſſe minimè dubiam. Falſum igitur eſt, quod ait Volkelius, non teneri Miniſtros Arrianos miſſionis ſuæ legitimum teſtimonium oſtendere, ad hoc vt legitimi prædicatores habeantur. cùm id æquè primis Euangelij prædicatoribus, vti omnibus aliis neceſſarium ſit, vt ſuæ prædicationis fidem, miſſionis legitimæ teſtimonio adſtruant. Nam vt primi prædicatores ſe non falſa prædicare teſtimonio diuinæ miſſionis probare debuerunt; ita conſequentes prædicatores probare debent ſe non fallere, cùm ſuam doctrinam pro Apoſtolicâ haberi volunt. Id quod non ſatis probant, ſcripturas per ſcripturas exponendo. Cùm idem Hæretici omnes faciant, & viciſſim ſe exagitent, quòd mendaciter & fallaciſſimè ſcripturas per ſcripturas interpretantur; & vt minimùm auditores imperiti & ſimplices, de ea re, iudicium ob ignorantiam facere non poterunt, ſiue vera aſſerat prædicator, ſiue non. Debent igitur neceſſariò ad miſſionis præſidium recurrere, quo ſi legitimè muniti ſunt, pro prædicatoribus non dubiæ fidei habebuntur.

Paulum non ſolùm de primis prædicatoribus loqui.

Iam quod Volkelius aſſerit Paulum ſolùm de prima prædicatione Euangelij, & primis illis Euangelij prædicatoribus loqui, falſiſſimum eſt. Nihil enim tale indicat, ſed vniuerſè docet; quomodo tam Iudæi, quàm Gentiles, Deum inuocare, & in eum credere poſſint; non illo tantùm Apoſtolorum tempore, ſed omnibus ad finem vſque mundi temporibus. Sic enim ait: *Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Quomodo ergo inuocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient, ſine prædicante? quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur?* Quis non videt hæc vniuerſè ad omnes omnium temporum homines, & omnium temporum prædicatores pertinere? Annè ad omnes omnium temporum homines non pertinet inuocare nomen Domini, credere, audire verbum Dei? Cur igitur etiam ad omnes omnium temporum prædicatores non pertineat prædicare, & mitti? Quod ſi D. Paulus hæc illis primis temporibus fidei accõmodat; non eapropter id facere credendus eſt, quòd illis ſolùm temporibus ſeruiant: ſed quòd ea, quæ omnibus temporibus ſeruiunt, illis quoque primis Euangelij temporibus rectè accõmodari poſſunt.

Tertium teſtimonium eſt Ier: 23.21. vbi Deus conqueritur de Prophetis, in hunc modum: *Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant; non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant.* Si Deus caput querimoniæ ſuæ in eo ponit,

ponit, quòd non miſſi à Deo cucurrerint, & quæ Deus locutus non fuerat, prædicauerint; an non luce clariùs eſt, tales prædicatores, qui non legitimè ſint miſſi, Deo nō ſolùm non probari, ſed etiam furorem ac indignationem diuinam prouocare; de qua ibidem dicitur verſ: 19. *Ecce turbo Dominicæ indignationis egredietur, & tempeſtas erumpens ſuper caput impiorum veniet.*

Huic teſtimonio non habet quod opponat Volkelius: niſi quòd de iis Prophetis intelligendum ſit, qui ſe à Deo miſſos nominabant, cùm miſſi non eſſent. Quod miniſtris Arrianis negat conuenire; cùm illi ſe miſſos à Deo non fateantur, nec vllam miſſionem ſibi arrogent. At more ſuo non rectè verba ſacræ ſcripturæ expendit: Duo enim obiicit iſtis Prophetis Deus: & quòd currerent ipſi per ſe, cùm non eſſent miſſi: & quòd dicerent ſibi Deum locutum eſſe, cùm Deus non loqueretur ad eos; ita vt hæc duo ſint diuinæ querimoniæ capita. Non igitur ſolùm, quòd ſe dicerent eſſe à Deo miſſos, reprehenduntur, ſed etiam abſolutè quòd currerent, hoc eſt, ipſi ſe ad docendum populum obtruderent: hoc enim vox currendi denotat, dum apponitur miſſioni. Quod caput querimoniæ optimè in Miniſtros Arrianos conuenit, qui per ſuam impudentiam ſe in officium Miniſtrorum ingerunt, cùm manifeſtè fateantur ſe non eſſe à Deo miſſos. Nam vt olim in lege veteri, ſi quis non Leuita ad miniſtrandum accederet, decreto Dei morti addicebatur, quòd alienum officium illegitimè vſurparet; ſimiliter & qui tangeret vaſa ſanctuarij, vel ex curioſitate ea videret quæ erant in ſanctuario, antequam inuoluerentur. Vnde & Azarias ſacerdos grauiter reprehendit Oziam regem, eò quòd adolere voluerit incenſum ſupra altare Thimiamatis: *Non eſt,* inquit, *officij tui Ozia, vt adoleas incenſum Domino; ſed Sacerdotum, hoc eſt, filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad huiuſmodi miniſterium. Egredere de ſanctuario, ne contempſeris, quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo*: ita & in lege noua, qui Miniſtrorum Eccleſiæ officia, quæ Deus ipſe ſe dare, & conſtituere profitetur, ſine legitima vocatione & miſſione vſurpant: eidem diuinæ indignationi ſubiecti eſſe exiſtimandi ſunt. Ex quibus patet, Volkelium nihil aliud in his tribus teſtimoniis refellendis effeciſſe, quàm vt ipſorum lux magis eniteret, & miſſionis neceſſitas pateret magis.

Num: 4. 15.

26. Paral: 26. 18.

Miniſtros qui legitimè miſſi non fuerint, dici in ſcriptura adulteros, falſos Prophetas, lupos rapaces, fures & latrones, Antichriſti ſectatores.

CAP: III.

NON contumelioſa videri debet ea appellatio, cuius Deus ipſe author eſt. Et verò qui ſecum expenderit, quantum Eccleſiæ in eo poſitum ſit, vt legitimos Paſtores, & Doctores habeat, hoc eſt, à Deo miſſos; quippe à quorum poteſtate & miniſterio ſalus, & vita æterna fidelium magna ex parte dependeat: is procul dubio intelliget, eos grauiſſimè in Deum, & Eccleſiam eius peccare, qui cùm miſſi non ſint, officium Paſtorum, & Miniſtrorum Eccleſiæ vſurpant. Quocirca Deus illos paſſim verbis grauiſſimis inſectatur. Apud Hieremiam loco citato, adulteros vocat. Vt enim qui ad alienam ſponſam accedit, adulter cenſetur; ita & Paſtores, ac Doctores, qui legitimè miſſi non ſunt, quia nullo iure ſponſæ Chriſti, hoc eſt Eccleſiæ, iunguntur, adulteri cenſendi ſunt.

Miniſtri non miſſi, adulteri.

Apud Matthæum verò capite 7. & *falſi prophetæ, & lupi rapaces* nominantur. Ne verò dubium eſſet, quòd tales eſſent, additur: *qui veniunt ad vos.* hoc eſt, ſponte ſua veniunt, non à legitima poteſtate miſſi; ea verba rectè inter cæteros expendit Auguſt: 2. lib. contra aduerſarium legis, cap: 4. Et quidem ſi falſus iudex eſt, aut conſul, qui nullo iure iudicij aut conſulis officium ſibi arrogat: cur non falſus propheta, aut miniſter dicatur, qui nullo legitimæ miſſionis iure officiũ Prophetæ, aut Miniſtri ſibi vendicat? Porro Prophetæ apud Iudæos non ſolùm ij dicebantur, qui futura prædicebant; ſed & ij qui populum pro officio docebant. Si igitur non ſolùm tunc falſi ſunt, cùm falſa doceant: ſed & cùm falſò tales ſe exhibent, quales nullo iure ſunt. Quos etiam lupos rapaces eodem in loco meritò nominat Chriſtus, quòd luporum more perniciem ouibus Chriſti afferant, ſimulata quam non habent, officij poteſtate. Hac enim via omnes Hæreſes irrepſerunt in Eccleſiam Dei.

Falſi Prophetæ.

Lupi rapaces.

Grauiùs verò perſtringuntur à Chriſto Ioannis cap: 10. dum *fures, & latrones* appellantur, quòd *non intrent per oſtium, ſed aliunde.* Cùm enim intrant fures, ſunt occulti: poſtquam intrârunt, fiunt latrones publici, virus quod ante occultabat euomentes. Et ſanè Dominus noſter, qui

Fures & latrones.

qui in omnes mitiſſimus ſemper fuit, *linum fumigans non extinxit, arundinem conquaſſatam non confregit*; in ſolos miniſtros falſos, ita dicendo aſper & ſeuerus extitit, vt eos ferre non poſſet: quòd rectè intelligeret eos Eccleſiæ ſuæ, quam ille præ omnibus chariſſimam habet, certam peſtem, & interitum afferre. Sic igitur aduerſus eos pronunciat: *Amen, amen dico vobis, qui non intrat per oſtium in ouile, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt, & latro: qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ouium. huic oſtiarius aperit, & oues vocem eius audiunt.* Quæ Chriſti oratio, non dubium eſt, quin ſpectet ad paſtores intrantes in ouile more furum, & latronum, non per oſtium, ſed aliunde, hoc eſt, illegitima via. Porrò, etſi variis modis illegitimis intrari poſſit ad ouile Chriſti: vnus tamen & præcipuus modus eſt, ſine legitima vocatione & miſſione intrandi; de talibus enim Deus conqueritur, apud Hieremiam, tum capite 14. 15. tum 23. 21. Etenim porta ordinaria qua intrari Deus vult ad oues ſuas eſt illa, quam oſtiarius, qui vocandi & admittendi poteſtatem habet, aperit; & qui per eam intrat, per Chriſtum intrat; Chriſto eum intrandi modum indicante: ea enim de cauſa ſe oſtium huius ouilis appellat, vti inter cæteros D. Auguſt: lib: 16. contra Fauſtum 12. & libro 2. contra Aduerſarium legis. cap: 4. & Hieronymus lib: 2. aduerſus Pelagianos interpretantur.

Iſaia 42. ℣. 3.

Ioan: 10. ℣. 1.

Non intrāt per oſtium.

Quod etiam res ipſa loquitur; hi enim qui miſſi non ſunt, non intrant per oſtium, hoc eſt, per communem paſtorum portam, quam ſcriptura indicat, cùm docet Paſtores à Deo dari, & conſtitui; non verò ipſos ſumere ſibi honorem. Non intrant etiam per Chriſtum: quia non ea ratione intrant, qua Chriſtus intrari præcepit. Iſtis etiam oſtiarius non aperit, ſiue oſtiarius cum Auguſt: intelligatur Spiritus ſanctus, ſiue ordinarij Eccleſiæ paſtores, & cuſtodes Dominici gregis; quia ſine Spiritûs ſancti vocatione, & ſine approbatione ordinariorū Eccleſiæ paſtorum, ad quorū officium admittere prædicatores ad ouile Chriſti pertinet, ingrediuntur. Hinc verò fit, vt oues vocem eorum ſecurè non audiant, nec ſciant vocem eorum: cùm illos à Deo ſibi datos Doctores & Paſtores non agnoſcant: quocirca & verbum ex ore ipſorum, vt verbum hominum, non vt verè verbum Dei eſt, accipiunt: vt potè de quorum fide & authoritate perſuaſum id non habent, quòd non alio ſenſu, quàm quem Spiritus ſanctus intendit, verbum Dei doceant, & interpretentur.

Oſtiarius quis?

Euaſio aduerſariorũ friuola.

Friuola verò eſt euaſio aduerſariorum, hos omnes titulos in ſcriptura commemoratos, ad eos tantùm ſpectare, qui ſe miſſos iactitant, cùm miſſi non ſint. Id quod Miniſtris Arrianis non conuenit, qui expreſſè affirmant ſe non eſſe miſſos, nec vlla miſſione egere. Et ſi enim verum ſit hos titulos ad eos etiam ſpectare, qui ſe miſſos prædicant, cùm miſſi non ſint: tamen non ad eos ſolos pertinent, ſed illos etiam complectuntur, qui ſe miſſos non aſſerunt; officia tamen eorum, qui ſunt legitimè miſſi, vſurpant. Tales enim etſi non verbis, factis tamē & operibus loquuntur ſe miſſos eſſe, cùm ea faciunt, quæ ſine miſſione facere nefas eſt. Neque enim illorum qui ſe falſò miſſos aſſerunt, peccatum in eo ſolum eſt, quòd falſum dicunt: ſed etiam quòd eam rem temerè aggrediantur, quam ſine legitima miſſione aggredi non licet. Hoc verò etiam in Miniſtros Arrianos conuenit, qui miniſtrorum & paſtorum Eccleſiæ munus, quod Chriſtus ſibi & magiſtratui à ſe in Eccleſia conſtituto reſeruauit; ipſi per ſe, & nullo iure ſibi aſſumunt. Nam & qui ſacerdotum munus in lege veteri vſurpabant, non ſolùm tunc peccabant, cùm ſe ſacerdotes mentirentur; ſed etiam cũ ſe agnoſcerent non ſacerdotes, ea tamen quæ ſacerdotum erant temerè obirent.

Antichriſti nota eſt, nõ eſſe miſſum.

Iam verò cùm Chriſtus Ioannis 4. 43. ſe hac nota ab Antichriſto diſcernit, quòd ipſe in nomine Patris ſui venerit, à Patre miſſus; Antichriſtus autem venturus ſit in nomine ſuo: an non manifeſtè oſtendit, eos qui in nomine ſuo veniunt à nullo legitimè miſſi, Antichriſti eſſe ſectatores, non Chriſti? *Ego*, inquit, *veni in nomine patris mei, & non accipitis me, ſi alius venerit in nomine ſuo,* (id eſt Antichriſtus iuxta communem Patrum interpretationem) *illum accipietis.* Vbi quemadmodum in nomine Patris venire, idem eſt quod mitti à Patre; ita in nomine ſuo venire, & à ſe ipſo mitti, & alium ſuæ miſſionis authorem non agnoſcere. Quæ cùm ſit Antichriſti venturi nota, viderint cuius ſectatores ſint, qui eam ſibi faciunt cum Antichriſto communem. Quod ſi ad eam notam euadendam interpretari malint Chriſti verba, de iis Doctoribus, qui non miſſi veniunt, potiùs quàm de Antichriſto: ne ea quidem ratione ſe tueri poterunt. Neque enim Chriſtus probat, ſed improbat potiùs talem modum veniendi, in nomine ſuo non Dei: quemadmodum enim Benedictus dicitur, qui venit in nomine Domini; ita procul dubio maledictus cenſendus eſt, qui in ſui, non in

Domini

Digitized by Google

Domini nomine venit, de quo tamen Miniſtri Arriani non minus imperitè quàm impudenter gloriantur.

Viderit igitur Volkelius, quàm honorificos titulos ſibi ſuiſque Miniſtris accerſat, cùm eos à miſſione liberos facit, & ſine miſſione Miniſtrorum officia obire liberum concedit. Nam ſi illi qui ſe falſò miſſos affirmant, ſacrilego mendacio ſe obſtringunt, quanto magis ſunt ſacrilegi Miniſtri Arriani, qui factis id ipſum loquuntur? Et illi quidem non eo ſolum nomine reprehenſione digni ſunt, quòd ſe miſſos mentiantur, ſed potiſſimum quòd cùm miſſi non ſunt, ea faciunt ad quæ illos mitti oportuit. Arriani verò etiam in hoc illis deteriores ſunt, quòd miſſionis honorem omnem, & neceſſitatem tollunt, quem illi vtcunque cognoſcunt, & magnifaciunt. Summa igitur rei eſt; aut falſum eſſe Miniſtros & Paſtores à Deo dari, quod ſcriptura affirmat; aut falſum erit, quod Arriani aſſerunt, Miniſtros Dei vocatione & miſſione non egere.

Volkelium contra omnem rationem negare Miniſtros Eccleſiæ vocatione & miſſione egere.
CAP: IV.

NON ſcripturis ſolùm, ſed etiam rationi repugnat, quod Volkelius cum ſuis Arrianis aſſerit, Miniſtris nulla vocatione aut miſſione opus eſſe. Etenim ſi id Volkelius in Republica aliqua ordinata pronunciaret: vt fatuus ab omnibus exſibilaretur, & exploderetur. Quis enim ferat publica ciuitatis aut Reipub. munia, à quouis ad libitum vſurpari, ſine vlla Magiſtratûs, aut Principis authoritate? Id ſi ita eſſet, plena confuſionis eſſent omnia; quilibet eſſet omnia, Conſul, Iudex, Tribunus, Gubernator, quilibet quælibet officia adminiſtraret. Quod ſi id in bene inſtituta Republica ferendum non eſt; quomodo fieri poteſt, vt in Chriſti Eccleſia ſummo ordine à Chriſto inſtituta (quæ idcircò caſtrorum acies ordinata dicitur) ferri debeat? Vnum ex duobus affirmare Arrianos oportet; aut Miniſtrorum in Eccleſia officia publica non eſſe; aut ea minimè licere paſſim ab omnibus vſurpari, nulla à Deo, & eius Magiſtratu in Eccleſia conſtituto, facta poteſtate. *Cant: 6.*

Ait Volkelius; ſi Miniſter ſit aptus & idoneus ad docendum, & audi-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Approbatio auditorum, non ſufficit ad creandum Miniſtrũ. 2.

& auditores velint illum audire, poſſe ſine alia poteſtate & miſſione, miniſterij officio fungi. Præclarè ſanè. Si enim auditores hominem Hæreticum audire conſentiant, pro paſtore lupum; erit Volkelij ſententià, & Hæreticus legitimus Miniſter, & lupus paſtor. Quod ſi hi Miniſtrum Arrianum audire malint, alij Caluiniſtam, alij Lutheranum, aut Huſſitam (ſcinditur enim incertum ſtudia in contraria vulgus) num omnes iſti erunt Miniſtri legitimi? Nam ſinguli ſe idoneos ab verbum Dei prædicandum non negabunt. Quod ſi in ciuitate, aut
3. Repub. minimè liberum eſt cuique, quem vult iudicem ſibi ſtatuere, ſed ille eſt communis omnium iudex, qui à legitima poteſtate omnibus præficitur: alioqui ſi placito cuiuſque pro ſingulis, ſinguli iudices ſtatuerentur; eſſet ea ratio maximè expedita ad omnia iudicia declinanda, & iudices eludendos. Quanto minus id in Eccleſia permitti debet, vt is legitimus paſtor ſit, qui placito vniuſcuiuſque talis eſſe cenſeatur. Sic enim omnibus lupis, atque Hæreticis acceſſus ad ouile
4. Chriſti pateret. Vt enim vulgus imperitum eſt, & errorum magiſtri ad plauſum facilè ſe accommodant; faciliùs inuenirentur, quibus errores & errorum magiſtri placerent magis, quàm veri prædicatores, fieretque vt pax, & vnitas religionis in Eccleſia conſeruari non poſſet. Talem verò licentiam inuehunt Arriani in Eccleſiam Dei, liberum cuique relinquendo pro ſua licentia Euangelica, quemcunque prædicatorem, & paſtorem admittendi, eique ſe, ſi, & in quantum placuerit ſubmittendi.

At dixerit quiſpiam, poſſe populum & communitatem præficere ſibi Iudicem, aut Principem quem voluerit: ergo & populus Chriſtianus poterit præficere ſibi paſtores, & prædicatores quos voluerit. Huic reſpondendum eſt. In primis id non licere in ea communitate, quæ Principem ſuperiorem agnoſcit, niſi ipſius authoritas acceſſerit. Talis eſt Eccleſia Dei, quæ Chriſto Regi ſuo ſubiecta cùm ſit, non poteſt niſi eius poteſtate Miniſtros conſtituere. Deinde aliam eſſe rationem Ciuilis & Eccleſiaſticæ gubernationis. Nam Ciuilis gubernatio humana eſt, & ab hominibus tota dependet. Eccleſiaſtica verò gubernatio Diuina eſt, cùm & à Chriſto inſtituta ſit, & ſolius Chriſti poteſtate nitatur. Quare etſi homines Ciuilem poteſtatem, ei quem elegerint conferre poſſint; non tamen poſſunt conferre Eccleſiaſticam, ſed Chriſti inſtitutioni ſtandum eſt, vt modo ab ipſo ordinato, fiant

Diſcrimẽ Magiſtratus Ciuilis & Eccleſiaſtici.

Digitized by Google

to, fiant & conſtituantur paſtores. Inſtituit autem Chriſtus paſtores Eccleſiæ ſuæ, vt à Deo dentur, & ad ſuum munus obeundum Spiritũ ſanctum accipiant: vt non ſinguli ſint ad placitum cuiuſque, ſed quos ſupremi paſtores,& rectores Eccleſiæ conſtituerint;vbi & Paulus Titũ, ac Timotheum conſtituit Epiſcopos, & iiſdem ordinauit, vt per omnes ciuitates conſtituerent Presbyteros, & Paſtores. Non igitur eſt in poteſtate cuiuſque paſtorem ſibi conſtituere: quia non eſt cuique integrum, ſpiritualem officij poteſtatem paſtori ſuo conferre, ſed eam is à Deo, vel ab Epiſcopis Eccleſiæ, acquirere debet.

Miniſtrorum poteſtas ſpiritualis.

At totus aduerſariorum error eſt in eo poſitus, quòd nullam credant ſpiritualem poteſtatem Miniſtris Eccleſiæ ineſſe: quapropter poſſe ſine vlla tali poteſtate ſibi collata, Miniſtrorum officio fungi. Quod cùm exiſtimant, videntur in media luce non videre. Si enim Miniſtri Eccleſiæ ſunt paſtores non corporum, ſed animarum; *peruigilant enim tanquam rationem pro animabus Deo reddituri.* Hebr: 13. quis non videt ius & poteſtatem in animas ſpiritualem eſſe, ac proinde ſine poteſtate ſpirituali, paſtorum officium non conſiſtere? Ea itaque poteſtate obligare poſſunt fideles ad ſibi obtemperandum, & præcepta ſua obſeruanda, in iis omnibus quæ ad rectum ordinem & gubernationem Eccleſiæ ſpectant: tum quòd lege diuina ſtatutum eſt, vt obediatur præpoſitis, & paſtoribus, Hebr: 13. ita vt qui eos audiat, Deum audiat; qui eos ſpernat, Deum ſpernat, Lucæ 10. tum quòd ſine tali poteſtate,nulla gubernatio ritè inſtitui poteſt; niſi enim cogi ſubditi ad officium poſſint, & delinquentes puniri, irritus erit omnis labor in gubernando ſuſceptus.

1. Poteſtas animarum.

2. Poteſtas obligandi in conſciẽtia.

Dicent fortaſſe,non poſſe paſtores imponere noua præcepta præter ea, quæ ſunt à Chriſto impoſita: punire verò ea ſolùm ratione poſſe, ſi pœnam illam æternam à Deo infligendam proponant. At vtrũque refellitur. Nam Eccleſiæ paſtores, non ſolùm diuinorum præceptorum executionem vrgere poſſunt, proponendo pœnas futuras à Deo infligendas; ſed etiam præcepta ad rectum ordinem & gubernationem ſpectantia ſtatuere, & delinquentibus pœnas non æternas ſolummodò minari, ſed & temporales infligere. Ita enim Dominus Ieſus Matt: 18. Eccleſiæ faciendum præcepit, vt ſi quis Eccleſiam paternè corripientem non audiuerit, eiuſque præceptis contumax repertus fuerit,excommunicetur; & tanquam ethnicus, & publicanus ab omnibus ha-

3. Poteſtas puniendi.

Digitized by Google

bus habeatur. Vt autem quantum ſit in hoc poſitum oſtenderet, adiecit: *Amen, amen dico vobis, quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata in cælo.* hoc eſt, Deus rata & firma habebit in cælo, quæ vos iudicaueritis in terra. Paulus verò illum Corinthium inceſtu vſum, non pœna ſolùm æterna terruit, ſed & temporali affecit. Cùm *in nomine, & virtute Chriſti, tradidit eum ſatanæ, in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fieret.* 1. Cor: 5. Aduerſus Elimam Magum ſententiam cæcitatis protulit. Acto: 13. 11. Hymeneum verò & Alexandrum *tradidit* ſimiliter *ſatanæ, vt diſcerent non blaſphemare.* 1. Tim: 1. 20. Eos etiam qui verbo ipſius aut epiſtolis nõ obedirent à communione fidelium prohibuit. 2. Theſſ: 3. 11. Petrus verò Ananiam & Zaphiram mentientes in pretio agri, vita priuauit. Actor: 5. 45. Et ſanè ſi in Repub. Magiſtratus delinquentibus ſolùm pœnam æternam proponeret, nec eos pœnis temporalibus afficeret; quis non intelligit, quàm parum ea res ad homines à flagitiis auocandos valeret, & quàm multa omnis generis mala ex ea impunitate, & licentia naſcerentur? Idem planè cogitandum de Eccleſia, ſi ea, quæ à fidelibus delinquuntur, impunita manerent. Quare & Paulus magnum diſcrimen facit inter fideles, & inter eos qui nondum fidem ſuſceperunt. Nam iſtos ait pertinere non ad ſuum, ſed ad Dei iudicium. Fidelium autem ſe iudicem agnoſcit. *Quid enim,* inquit, *mihi de iis qui foris ſunt, iudicare? nonne de iis qui intus ſunt vos iudicatis. Nam eos qui foris ſunt Deus iudicabit.* 1. Cor: 5. 12. Qui igitur poſſunt Arriani Miniſtris Eccleſiæ eam poteſtatem denegare, quam Chriſtus illis contulit, quaq; vſi ſunt Apoſtoli, & ſine qua recta gubernatio inſtitui non poteſt.

4. Poteſtas noua præcepta imponendi.

Nam quod ad poteſtatem leges & præcepta imponendi attinet; ea ita eſt cum paſtorum officio coniuncta, vt abſque ea nullo modo paſtores cenſeri poſſint. Paſtorum enim proprium eſt, regere Eccleſiam Dei. Acto: 20. At regere nemo dicendus eſt, qui præcipere non poſſit. Nam is qui ſolùm leges ſcriptas conſeruat vel explanat, doctor potiùs legum, quàm rector & paſtor communitatis dicitur: qui verò poteſtate ſua facit, vt leges ſeruentur, & eorum violatores puniantur; quique ea quæ ad bonum commune, & pacem publicam tuendam ac cõſeruandam neceſſaria ſunt, præcipit; quæ verò ei aduerſa, prohibet: is domum regere meritò dici debet. Iam ſi paſtoribus lege diuina obedientia debetur; obedientia verò ei ſolùm debetur, qui ius præcipiendi habet: an non perſpicuum eſt paſtores ius præcipiendi, & ſuis præ-

ceptis

ceptis fideles obligandi habere? id verò ius Paulus non ſemel in ſuis Epiſtolis agnouit, cùm & Corinthios laudat, quòd ſua præcepta tenerent. 1.Cor: 11. & Theſſalon: ſcribens: *Scitis,* inquit, *quæ præcepta dederim vobis.* 1.Theſſ: 4. 2. & 2.Theſſ: cap: 3. 14. ait: *Si quis non obedit verbo noſtro per Epiſtolam, hunc notate, & non commiſceamini cum illo, vt confundatur.* Non eſt autem dubium, Paulum non ea ſolùm præcepiſſe, quæ Deus præcepit; ſed alia non pauca ordinaſſe, tam in vſu Sacramentorum, quàm in moribus fidelium, vt honeſtè & legitimè omnia fierent in Eccleſia Dei. In eiſque omnibus lege diuina fideles illi obedire tenebantur.

Præceptũ Pauli de matrimonio. Sic de matrimonio fidelis cum infideli, legem propria authoritate tulit; etſi infidelis conſentiat habitare cum fideli, non dimittatur. *Ego,* inquit, *dico, non Dominus.* 1. Cor: 7.12. Sic 1. Tim: 3.2. legem ſtatuit, ne bigami ordinentur. *Oportet,* inquit, *Epiſcopum eſſe vnius vxoris virum, ſimiliter & Diaconum:* quæ lex ſemper in Eccleſia Catholica ſeruata eſt diligentiſſimè. *De Bigamis.* 1.Cor: 11. 10. ordinat, vt mulier in Eccleſia velet caput ſuum, & velato capite oret. Prohibet etiam, ne mulier loquatur, & doceat in Eccleſia. 1. Tim: 2.12. 1. Cor: 14.34. *De velo mulierum & ſilentio.* De vſu etiam Euchariſtiæ multa diſpoſuit, vt ipſe fatetur 1.Cor: 11. 14. *De ritu Euchariſtia.* Apoſtoli etiam in primo ſuo Concilio Actor: 15. legem ferunt, pro Eccleſiis Syriæ, & Ciliciæ: *Viſum eſt,* inquit, *Spiritui ſancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, niſi hæc neceſſaria: vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, à ſuffocato, & ſanguine, & fornicatione.* *Præceptũ Apoſtolorum.* Quibus verbis agnoſcunt ſe habere poteſtatem ad imponendas leges, & onera, & de facto illis Eccleſiis impoſuerunt legem abſtinendi ab eſu immolatorum ſimulacris, quæ lex non erat diuina, cùm eam ex communi deliberatione, & iudicio impoſuerint; & eo modo, vt ſatis oſtenderent in ſua poteſtate fuiſſe, vel non imponere, vel moderari, & pauciora imponere, quàm impoſuerunt. Et quamuis finis legis eſſet vitatio ſcandali, quòd ad ius diuinum ſpectat; tamen vniuerſè voluerunt adſtringere fideles ad abſtinendum à dictis rebus, in quocunque caſu, etiam tunc cùm nullum eſſet ſcandalum; vt ſic ab omni occaſione ſcandali eſſent magis immunes, quod erat iuris humani. Iure enim diuino tenebantur ab his abſtinere ſolùm in caſu ſcandali: at lege Apoſtolica vniuerſè abſtinere tenebantur, quod meritò imponere poterant Apoſtoli: quia ſic faciliùs ſcandala vitari poterant. Huc ſpectant ea, quæ in Eccleſia Catholica ſanctè ſemper

Longè aliter res habet in iis prædicatoribus, qui ſuam vocationē & miſſionē legitimam probare poſſunt. Iis enim quos Deus mittit, quis dubitet fidem adhibere, & verbum eorum, non vt verbum hominum, ſed vt eſt iurè verbum Dei audire, & Deum in ipſis loquentem agnoſcere, & adorare. Chriſto ipſo atteſtante: *Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit.* Neque enim Chriſtus, cùm nos audire præcepit Paſtores & Doctores à ſe miſſos, decipere nos voluit, & in errorem inducere: ſed potiùs ea ratione certos & ſecuros reddere, ſi eis fidem adhibuerimus; quibus ipſe teſtimonium perhibet veritatis, quod non ſolùm ad illos ſpectare voluit, quos ille immediatè miſit, quales erant Apoſtoli: ſed etiam ad illos, qui ab immediatè miſſis legitima ordinatione, & ſucceſſione deſcendunt; qualis eſt ſucceſſio Romanorum Pontificum, per quam Irenæus ait, confundi omnes Hæreticos lib: 3. & Auguſtinus in Epiſtola fundamenti, cap: 4. Tenet me, inquit, in Eccleſia à ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas ſuas oues Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopum, ſucceſſio Sacerdotum. Et meritò ſanè antiqui Patres, non quamcunque ſucceſſionem, ſed ſucceſſionem Romanorum Pontificum contra Hæreticos vrſerunt. Solius enim Petri Cathedra hoc Priuilegium ex Domini promiſſione accepit, vt ſucceſſione tam perſonarum, quàm fidei, & doctrinæ, nunquam ad finem vſque mundi ſit caritura, nec portæ inferi aduerſus eam ſint præualituræ. Petro tanquam ordinario Eccleſiæ Paſtori, ſpeciali ratione oues ſuas Dominus commendauit, pro eoque orauit, ne deficeret fides eius: eidem tanquam ordinario Eccleſiæ Paſtori, claues regni cælorum, & poteſtatem omnem ligandi & ſoluendi tradidit: quas promiſſiones & priuilegia Chriſti diuina, omnes ſancti Patres, cum vniuerſa Eccleſia Catholica, ad Petrum, & eius ſucceſſores Romanos Pontifices pertinere vnanimi conſenſu omnibus ſeculis docuerunt, vt Sanderi Monarchia, Bellarmini Controuerſiæ, Baronij Annales Eccleſiaſtici, fidem faciunt: vt mirum ſit Sectarios noſtros in tanta teſtium, & teſtimoniorum luce cæcutire poſſe, & homunciones miſeros principibus doctrina & ſanctitate viris, & toti Chriſtianorum orbi audere ſe opponere.

Catholicis paſtoribus ſecurè credũt fideles.

1.

Succeſſio Romanorũ Pontificũ.

Petri Cathedræ priuilegium.

Arriani ad Euchariſtiam conficiendam nullam in Miniſtro poteſtatem requiri nugantur. CAP: V.

ARriani ne ſuis Miniſtris vllam diuinitus poteſtatem concedant,

Digitized by Google

in ipſa Sacramenta inuolant, eaque omni dignitate & præſtantia à Chriſto conceſſa, ſpoliant, cum ſummi tum Chriſti, tum religionis Chriſtianæ: & omnium fidelium iniuria. Quod præcipuè in diuiniſſimo Euchariſtiæ Sacramento faciunt; quod cum ſit ſingulare fidei, religionisque noſtræ myſterium, in quo Chriſtus omnes ſuæ bonitatis opes, vnà cum corpore & ſanguine ſuo, ad animas noſtras viuificandas, & incredibilem ſuum in nos amorem teſtificandum, miro ſed vero modo nobis reliquit; iſti id vnum agunt, vt omnem dignitatem iſti Sacramento auferant, nihilque ei diuinum ac cæleſte concedant, præter ſimplicem mortis Dominicæ commemorationem, & repræſentationem. Hoc enim & Volkelius hic fatetur, & in ſua Catecheſi verba illa Domini, *Hoc eſt corpus meum,* ita exponi volunt, ac ſi Chriſtus dixiſſet: Hæc actio frangendi, & manducandi panis huius, eſt commemoratio, & adumbratio quædam eius, quod corpore meo futurum eſt: & hæc actio fundendi & bibendi huius vini, commemoratio & repræſentatio quædam eſt, quid ſanguine meo fiet. Ita vt fractio panis, Chriſti corporis in cruce fractionem: & fuſio vini, effuſionem ſanguinis Chriſti in cruce repræſentet. ſcilicet particulam *Hoc*, nec vt Caluiniſtæ & Lutherani referunt ad panem, nec vt Catholici ad corpus Chriſti; ſed noua & multò abſurdiori fictione ad actionem frangendi & manducandi. Iam verò Chriſti corpore & ſanguine ab Euchariſtia excluſo, cùm nihil niſi inane & egenum elementum relinquatur, facilè ſuis perſuadent, nihil eiuſmodi in Euchariſtia ineſſe, quod diuinam aliquam poteſtatem in Miniſtris requirat.

Indignè de Euchariſtia ſentiũt Arriani.

Nos contra Catholici. Cùm diuinam Chriſti gratiam in hoc Sacramento agnoſcamus, & læti veneremur, ſimplicique fide verum eſſe credamus, quod ipſa veritas dixit: *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*, aſſerimus ex conſequenti, diuina poteſtate Miniſtris opus eſſe, qua rem omnium diuiniſſimam perficiant, vt quæ ante panis & vinum erant, verborum Chriſti admiranda veritate & poteſtate, corpus & ſanguis Chriſti efficiantur: eo fine, vt & animæ noſtræ tam ſalutari cibo & potu reficiantur, & habeamus quod Deo pro ſalute noſtra in ſacrificium offeramus, eaque ratione mortis Dominicæ commemorationem faciamus.

Duo igitur (fremant licet & rumpantur Arriani) Chriſtum nobis in Euchariſtia corpus ſuum verum, & ſanguinem reliquiſſe. Id enim

In Euchariſtia verũ Chriſti corpus.

dedit.

Digitized by Google

dedit, quod ſe dare faſſus eſt, dicendo : *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus.* Porrò nemini dubium eſſe poteſt, quin hæc verba de eo pronunciauerit, quod manibus tenebat, & porrigebat Apoſtolis, & ab ipſis manducari & bibi volebat. Senſus enim eſt, hoc quod vobis exhibeo, & vt manducetis porrigo, eſt corpus meum. Ergo ſi verbis Chriſti credimus: non aliam quampiam rem Chriſtum dediſſe nobis in Euchariſtia credere debemus, præterquam corpus ſuum, & ſanguinem.

Non igitur actionem frangendi & manducandi appellauit corpus ſuum, vt deblaterant Arriani: ſiquidem non actionem frangendi & manducandi illis ad manducandum porrigebat; ſed id quod manibus tenebat. *Accipite*, inquit, *& manducate, Hoc eſt enim corpus meum.* Quid obſecro accipiendum de manibus ſuis Chriſtus porrigebat, niſi quod manducari volebat? vt autem ad manducandum alliceret, rem omniū diuiniſſimam eſſe aſſeruit, quam manducari volebat, nempe corpus ſuum. Idque indicat illa particula *Enim*, quæ rationem continet cur manducari debeat, *eſt enim*, inquit, *corpus meum.* Quod etiam in porrectione calicis magis expreſſit: *Hic eſt*, inquit, *calix ſanguinis mei.* Non igitur particula *Hic*, actionem fundendi & bibendi deſignat, ſed calicem ſanguinis, quem Chriſtus manibus tenebat, & Apoſtolis bibendum porrigebat. Et ſanè nullus Hæreticorum hactenus extitit, qui adeò abſurdè, & abſonè Chriſti verba interpretatus ſit, ſicut iſti interpretantur, cùm eorum interpretatio nulla ratione ad Chriſti verba accommodari poſſit.

Et quidem Volkelius ſimilem modum loquendi ex Ezechielis capite 5. producit, vbi Deus iubet Ezechielem capillos barbamque ſuam tondere, piloſque tum ponderare, tum partim comburere, partim gladio ſecare, partim in ventos diſſipare, partim denique in ſummitate pallij ligare, eiicereque, poſt quæ ſtatim additur : *Hæc dicit Dominus : Iſta eſt Hieroſolyma.* Quorum verborum is ſenſus eſt, eas Ezechielis actiones eſſe ſigna, & adumbrationes eorum, quæ Hieroſolymæ accidere debebant.

Verùm nil agit Volkelius. Nam in verbis Chriſti res determinata oſtenditur, quam pronunciat eſſe corpus ſuum, & ſanguinem ſuum, nempe illam quam manibus tenebat, ad manducandum & bibendum Apoſtolis porrigebat. Non poſſunt igitur aliò verba Chriſti referri. In loco verò Ezechielis, nulla alia res oſtendebatur, ad quam illa verba,

Digitized by Google

Iſta eſt Hieruſalem, referri poſſent, niſi ipſæ actiones Ezechielis, quocirca ad actiones illas referuntur; & eo modo, quo actionibus accommodari poſſunt, intelliguntur. Quare non modum loquendi negamus, ſed negamus eum accommodari poſſe præſentibus Chriſti verbis.

Affert & alium locum Exodi 12. 11. & 27. vbi ritus ille comedendi agnum, dicitur eſſe Phaſe, id eſt tranſitus Domini, quia erat commemoratio, & adumbratio tranſitûs Domini; ſed & is locus non facit ad propoſitum. Nam idcircò illa verba, *eſt enim Phaſe, ſeu tranſitus Domini*: ad ritum illum comedendi agnum referuntur, quia rituum illorum rationem continent. Deſcribitur enim ritus comedendi agnum: *Sic autem*, inquit, *comedetis illum: renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinanter Eſt enim Phaſe ſeu tranſitus Domini*. Ac ſi dictum fuiſſet: idcirco hoc ritu debetis comedere agnum, quia hic repræſentat Phaſe, id eſt tranſitum Domini, quando tranſiuit ſupra domos filiorum Iſrael in Ægypto: percutiens Ægyptios, & domos filiorum Iſrael liberans, vt dicitur ℣. 27. At verò Chriſti verba non poſſunt ad ritus Cœnæ referri, ſed neceſſariò referenda ſunt ad id, quod Chriſtus porrigebat Apoſtolis, & quod Apoſtoli manducaturi, & bibituri erant: non igitur ille modus loquendi poteſt ad Chriſti verba accõmodari. Quanquam aliis magis placent illa verba, *Eſt enim Phaſe*; ad agnum referre. Aliis verò ad neutrum, ſed abſolutè dici eſſe, id eſt, agi, celebrari feſtum Phaſe, ſeu tranſitus Domini. Agnus enim dicitur victima Phaſe, ibidem verſu 27.

An agnus Phaſe.

Iam verò quod maximè vrget Volkelius, non poſſe cõmemorationẽ Chriſti cum præſentia eiuſdem in Euchariſtia conſiſtere, quod rerũ abſentium, non præſentiũ cõmemoratio fiat: id in tãtũ futile eſt, vt nullam planè vim habeat, duplici ex cauſa. Primũ, quòd ea cõmemoratio ad quam faciendam hoc Sacramentũ eſt inſtitutum, Paulo docente, eſt cõmemoratio mortis Dominicæ. Ea verò abſens eſt procul dubio, ſemel enim Chriſtus, idq; in cruce mortuus eſt. Quidni igitur poſſit in hoc Sacramẽto cõmemorari? Nam & filius ad ſepulchrum parentis ſui, corpus præſens conſiderans ad memoriam ipſius ante mortui, maiori quadam vi commouetur. Et nos præſens Chriſti corpus, & ſanguis magis excitat ad memoriam mortis ipſius pro nobis obitæ, quàm ſi abſens animo fingeretur. Alterum, quod cùm res præſens eſt inuiſibilis, ſed aliquo ſigno præſentiæ indicata, poteſt præſens veluti abſens commemorari:

Commemoratio nõ pugnat cum præſentia Chriſti in Euchariſtia.

eſt

eſt enim veluti abſens ſenſibus noſtris. Talis eſt præſentia Chriſti in Euchariſtia; nam etſi vera ſit & realis, non tamen ſenſu deprehenditur, ſed ſola fide. Et quemadmodum ea creduntur, quæ non videntur: ita & commemorari poſſunt. Nam & ex ſpecie illa columbæ, atque linguarum ignitarum, Spiritus ſancti præſentia agnoſcebatur, & ex rubo ardenti Deus, in eo præſens credebatur. Porrò ſicut inepta eſt Volkelij argumentatio, Chriſtus ſui commemorationem fieri præcepit in Euchariſtia, ergo in Euchariſtia non eſt: ita noſtra longè verior atque ſolidior, cùm ita argumentamur: Chriſtus Euchariſtiam dixit eſſe corpus ſuum: ergo verè eſt corpus. Si enim aliqua alia res eſſet, quàm corpus, id vtique dixiſſet. At non aliam vllam rem, quàm corpus ſuũ, dixit: Non igitur Euchariſtia eſt alia res, quàm corpus. Illis enim verbis: *Hoc eſt corpus meum,* quæ eſſet eſſentia Euchariſtiæ, declarauit.

Chriſti locutio non fuit figurata & impropria.

Sanè ſi figurata locutione, vt Caluiniſtæ ſentiunt, Chriſtus vti voluiſſet, vocando Euchariſtiam corpus ſuum, quòd eſſet ſignum corporis ſui: eam proculdubio explicuiſſet, cùm & inuſitata eſſet, & obſcura, & in re omnium maxima, in qua ſalus hominum verſatur, eſſet magna erroris occaſio, vti & Capharnaitæ, Ioan: 6. ex ea ſcandali occaſionem acceperant. Quod ſi in rebus minoris momenti, & quæ ad ſalutem non ſpectabant, improprias locutiones explicuerunt Euangeliſtæ, ne periculum eſſet alicuius erroris: quomodo in ea re, quæ ad vitam æternam omnibus conferendam inſtituebatur, impropriam & inuſitatam locutionem ſi quæ fuiſſet, paſſi fuiſſent, ſine alia explicatione. Sic quia Chriſtus figuratè dixerat, *ſoluite templum,* mox additur: *hoc autem dicebat de templo corporis ſui.* Ioan: 2. 21. Sic dixerat Chriſtus impropriè, cauendum à fermento Phariſæorum, Matt: 16. 6. mox explicuit, non de fermento panis, ſed de fermento doctrinæ intelligendum eſſe. Similiter dixerat Chriſtus: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum*: quia id obſcurum erat de quanàm exaltatione à terra loqueretur: mox additur explicatio, *ſignificans qua morte eſſet moriturus.* Ioan: 12. 33. Idem factum videmus in explicatione parabolæ ſeminis, & ſeminantis. Matt: 13. & parabolæ zizaniorum ibidem.

Iam verò, quænàm proferre aduerſarij indicia poſſunt huius impropriæ locutionis? Nam ſine teſtimonio ſcripturarum facere in re tanta Chriſtum impropriè loquentem, eſt Chriſti verbis vim facere. Porrò nihil ex ſcripturis eiuſmodi proferre poſſunt, quo verba Chriſti

non

Digitized by Google

non in propria ac genuina ſignificatione accipienda eſſe ſuadeant. Nam quod de commemoratione Chriſti in Euchariſtia afferre ſolent, quaſi id pugnet cum eius reali præſentia, paulò ante refutatum eſt. Aliud verò eiuſmodi nihil ex ſcriptura afferunt, aut afferre poſſunt, præter ratiunculas ex male ſano capite depromptas; quæ verborum
8. Chriſti veritati præiudicium facere non poſſunt. Accedit, quod ſi nihil aliud niſi ſignum corporis ſui reliquit nobis Chriſtus in Euchariſtia, longè præſtantius ſignum fuiſſet agnus ille Paſchalis, & multò perfectiùs Chriſti mortem repræſentaret, quàm panis. Similiter & Manna præſtantius ſignum, & Sacramentum fuiſſet Euchariſtia, quod tamen nefas eſt cogitare.

Poteſtas Euchariſtiam conficiendi, diuina.

Faceſſat igitur Volkelius cum ſuis affanis, & agnoſcat in Euchariſtia rem planè diuinam, & diuinæ ſolius poteſtatis propriam fieri, vt panis ſit corpus Chriſti, vinum ſit ſanguis: quod cum verborum ſuorũ virtute perficiendum reliquerit Chriſtus Apoſtolis, & Eccleſiæ; an non diuina poteſtate opus eſt tanti Sacramenti Miniſtris, quam illi ſi-
9. ne legitima vocatione, & ordinatione acquirere non poſſunt? Id verò expreſſiùs indicauit D. Paulus 1. Cor: 10. 16. *Calix,* inquit, *benedictionis, cui benedicimus, nonné communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* En Paulum docentem Miniſtros Euchariſtiæ benedicere calici, ipſumque benedictione conſecrare, vt fiat ſanguis Chriſti. Verba benedictionis illa ſunt: *Hic eſt ſanguis meus.* Quàm abſurdè verò Volkelius verba Pauli exponit, cũ ait benedicere calici, nihil aliud eſſe, quàm accepto calice, Deo gratias agere; non alio argumento, niſi quòd verba Græca benedicendi, & gratias agendi, confundantur, & pro eodem ſumantur. At non videt homo hæreticus, licet ea verba ſi abſolutè ſumantur, & ad Deum referantur, pro eodem ſumi poſſint, quòd Deum tunc benedicimus, cùm ei gratias agimus: tamen cùm ad panem, vel calicem, vel alias ſimiles res referuntur, eo ipſo ſignificatione diſtingui neceſſe eſt. Nam vt rectè dicitur, nos pani vel calici benedicere; ita non niſi ineptè dici poteſt, nos pani vel calici gratias agere. Anné cùm Chriſtus quinque panibus benedixit, & eos multiplicauit benedictione, Lucæ 9. 16. gratias illum panibus egiſſe cenſebit Volkelius? Quemadmodum igitur, cùm panibus illis quinque benedixit, ſuam diuinam benedictionem illis impertiit, & effecit vt multiplicarentur: ita & in Euchariſtia, cùm pani & calici benedixit, fecit illa corpus & ſanguinem ſuum, & idem

Calici benedicunt Sacerdotes.

facien-

faciendum Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus præcepit. Quocirca calici benedicere, non eſt ſolùm accepto calice gratias agere, ſed eſt ipſi calici benedictionem & conſecrationem impertiri: vt omnes ſancti Patres ſunt interpretati.

Ex quo etiam intelliget Volkelius, eam benedicendi & conſecrandi poteſtatem, non omnibus fidelibus Chriſti inſtitutione eſſe cōmunem: ſed Apoſtolis, ſingulari quadam ad reliquoſque minimè pertinente ratione demandatam eſſe, vt potè quibus illud conuenit: *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.* 1. Cor: 4. 1. Toti quidem Eccleſiæ Euchariſtiæ vſum communem eſſe voluit Chriſtus: ſed non miniſterium. Nam miniſterium conficiendi & diſtribuendi (vti exemplo ſuo præiuit) Apoſtolis aſſignauit; vſum verò de manibus Apoſtolorum ſumendi, ad alios quoque fideles pertinere voluit. Similiter commemoratio mortis Dominicæ in hoc Sacramento aliter ad Apoſtolos, aliter ad reliquos fideles ſpectat. Nam illi quidem mortis Dominicæ commemorationem faciunt verborũ Chriſti virtute, conſtituendo hîc corpus Chriſti, hîc ſanguinem, quæ eſt imago ipſiſſima mortis Chriſti, & ſanguinis à corpore ſeparati: reliqui verò fideles de manibus Apoſtolorum accipiendo corpus & ſanguinẽ Chriſti, eandẽ mortis Dominicæ cōmemorationem ſuo modo faciunt.

Poteſtas Euchariſtiam conficiendi nō eſt omnib. fidelibus communis.

Miniſtris in ordinatione non conferri Spiritum ſanctum, imperitè tuetur Volkelius. CAP: VI.

IN Nodo Gordio docuimus Apoſtolorum & primæuæ Eccleſiæ exemplo, Miniſtris cùm ad munus ſuum ordinantur, impoſitione manuum conferri Spiritum ſanctum, tum ad conficiendam Euchariſtiam, tum ad remiſſionem peccatorum conferendam. Volkelius cùm negare non poſſet, id tempore Apoſtolorum fuiſſe: negare tamen auſus eſt eum ritum ad noſtra tempora pertinere; ſed proprium primi illius temporis fuiſſe: quo & fides miraculis confirmanda erat, & fidei prædicatores Spiritu ſancto muniendi. At quàm imperitè hæc à Volkelio aſſerantur, teſtis eſt vniuerſa Eccleſia, & omnium ſæculorum antiquitas, quæ ritum illum in ordinatione, & ſemper retinuit, & ſanctè ad hæc vſque tempora conſeruauit. Cuius rei, tot ſunt teſtes quot ſcriptores, quibus omnibus dum ſuam ſtramineam authoritatem

Digitized by Google

opponit Volkelius, an non manifeſtè, quàm temerarius & impudens ſit, demonſtrat? Eum enim ritum ceſſaſſe, non alia quàm ſua authoritate confirmat. Nam etſi poteſtas ordinaria miracula patrandi ceſſauerit: non idcirco inferre debuit donum quoque & gratiam Spiritus ſancti, qua Miniſtri ſanctificantur in Eccleſia ceſſaſſe. Nam miracula ſolùm ad fidem inducendam erant neceſſaria, eaque fundata, & cõfirmata poteſtas ordinaria miraculorum faciendorum ceſſare debuit. At Spiritus ſancti gratia, qua Miniſtri Eccleſiæ ſanctificantur, non ad fidem confirmandam, ſed ad munera Miniſtrorum ritè obeunda requiritur. Quapropter ſicut officia Miniſtrorum in Eccleſia perpetua ſunt, & nunquam ceſſare debuerunt. ita & gratia Spiritus ſancti illis promiſſa, & in ritu impoſitionis manuum aſſignata. Et ſanè tam diuina ſunt Miniſtrorum officia, vt nonniſi Spiritus ſancti virtute & poteſtate perfici poſſint. Datur enim Miniſtris in ordinatione, primùm ea poteſtas, qua Euchariſtiam conficiant, & corpus Chriſti ac ſanguinem in ea exhibeant, tum fidelibus ad veſcendum, tum Deo ad offerendum: deinde & alia, qua peccata hominibus remittere, & eadem retinere valeant, ad quem finem Chriſtus diſertis verbis ſe dediſſe Spiritum ſanctum Apoſtolis teſtatur, Ioan: 20. Quemadmodum igitur Euchariſtia ſemper eſt in Eccleſia Dei conficienda, dicente Paulo, mortem Domini in hoc Sacramento a nobis annunciandam eſſe, donec Dominus veniat; & ſemper remittenda ſunt, vel retinenda fidelibus peccata: ita ſemper Miniſtris neceſſaria eſt ea Spiritus ſancti gratia, qua vtrumque ritè præſtare poſſint. Neque enim res tanta, niſi ſolius Dei virtute, confici poteſt; cùm & naturarum mutatio ſolius Dei opus ſit, & peccatorum remiſſio. Neque verò Chriſtus Apoſtolicam ſolùm illam Eccleſiam dilexiſſe, eam verò quæ poſt Apoſtolos eſt, deſeruiſſe exiſtimandus eſt. Verum enim eſt illud quod promiſit: *Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.*

Non ceſſauit in Eccleſia poteſtas Spiritum S. Miniſtris conferendi.

Triplex poteſtas confertur in ordinatione.

At Volkelius cùm nihil diuinum in Euchariſtia ineſſe credat; nil mirum, quod & de eius miniſtris tam miſerè & abiectè ſentiat. Et ſi vero ad Arrianam Euchariſtiam miniſtrandam, nulla vis diuina requiratur; tamen Euchariſtiæ Catholicæ Miniſtros diuinos homines eſſe oportet, quibus tam diuina myſteria concredita ſunt. Cùm etiam remiſſionem peccatorum in ſola prædicatione remiſſionis ſumma temeritate conſtituit; non aliam quoq; in Miniſtris, quàm prædi-

candi

candi ſimplicem poteſtatem agnoſcit: imò diſertis verbis affirmat, ſuos miniſtros, ne eâ quidem ratione, hoc eſt per prædicationem, remittere peccata: quòd id ad primam illam prædicationem Apoſtolorum pertinere exiſtimet. Apoſtolis etiam Spiritum ſanctum ad remittenda peccata, Chriſtum quidem obtuliſſe; re ipſa tamen illum tunc non dediſſe, ſed poſt ſuum in cœlos aſcenſum. Quæ vti abſurdè, & ab abſurdis illis hominibus aſſeruntur; ita ſuo loco, hoc eſt, in tertiæ demonſtrationis examinatione, refellenda ſunt.

Argumenta aduerſariorum diluuntur. CAP: VII.

OPponit inprimis Volkelius, licitum ſemper in Eccleſia fuiſſe, abſque alia miſſione verbum Dei prædicare: id quod aliquot exemplis doceri putat. Nam & illi diſperſi Acto: 8. 4. Acto: 11. 19. citra vllam miſſionem Euangelium prædicarunt; & tamen illis manum Domini adfuiſſe, ibidem Lucas teſtatur. Apollo etiam Acto: 18. 24. edoctus viam Domini, antequam eſſet baptizatus, docebat diligenter quæ ſunt Ieſu. Neque enim referre, ait, quis, quauè conditione ſit, is qui prædicat: dummodò Chriſtus & eius verbũ prædicetur.

In prima na Eccleſia nullus Miniſter non miſſus.

At errat toto cœlo Volkelius. Nemo enim in prima Eccleſia prædicationis munus ſuſcepit, niſi vel à Deo immediatè vocatus, & miſſus cum miraculorum teſtimonio; vel illorum ſocius, & adiutor extitit, qui à Deo fuerunt miſſi. Quod adeò verum eſt, vt Paulum etiam tam mirabili ratione à Deo vocatum, conferre oportuerit Euangelium ſuum cum præcipuis Apoſtolis, vt oſtenderet ſuam doctrinam cum doctrina aliorum Apoſtolorum conſentire: ne in vacuum currere, & laborare videretur. Gal: 2. 2. Neque enim fideles illi quemcunque prædicatorem admittebant, etiamſi diceret ſe à Deo miſſum; niſi cũ doctrina ſuorum ordinariorum paſtorum conſentiret, & dextras ſocietatis illis daret. Gal: 2. 9. Aio igitur illos quos Volkelius commemorat, & à Deo immediatè vocatos fuiſſe *(manus enim Domini erat cum ipſis)* & ordinariis Eccleſiæ paſtoribus ſocios, & adiutores ſe præbuiſſe: ita vt vtramque miſſionem tam immediatam, quàm mediatam haberent.

Refert multum, quis ſit is qui prædicat.

Multùm verò fallitur Volkelius, cùm ait; non referre, quis quauè cõditione ſit is, qui prædicat. Annè parum refert, ſi is qui prædicat ſit falſus Propheta, errorum magiſter, Hæreticus? Nam ad eam rem nõ

ſatis eſt, ſi nudè affirmet ſe purum putum verbum Dei prædicare: hoc enim hæretici omnes faciunt, idque ex ipſo verbo Dei probare contendunt; ſed opus eſt publico vel miraculorum, vel Eccleſiæ teſtimonio, ad authoritatem prædicationi conciliandam: alioqui omnibus erroribus pateret via. Neque verò exiſtimandum eſt, à talibus hominibus, qui nec à Deo immediatè, nec à Paſtoribus legitimis mittuntur, prædicari Chriſtum & verbum eius; niſi eo modo quo omnes Hæretici ſuas viſiones pro verbo Dei prædicant. *Quæcunque enim à Deo ſunt, ordinata ſunt*; quare qui nec à Deo, nec ab Eccleſiæ rectoribus, quorum eſt legitimos Doctores ouibus Chriſti proſpicere, mittuntur; ij procul dubio à Deo non ſunt, nec à Deo verum ſcripturarum ſenſum, & intelligentiam aſſequuntur: ita vt in plurimos errores labi illos ſæpè oporteat: cùm veriſſimum ſit, quod ſanctus Petrus docuit, ſcripturam propria interpretatione non fieri; ſed Spiritu ſancto inſpiratos loqui ſanctos Dei homines.

Ex charitate nemo abſq; miſſione prædicare debet.

Poteſt, inquit, ex charitate doctrinam Chriſti, quilibet, & Apoſtolorum docere. Aio, talem charitatem quoſlibet Hæreticos prætendere: qui tamen docendo omnem charitatem violant, cùm aliis errorum ſint cauſa. Suſpecta ſemper eſt talis charitas, quæ miſſione legitima deſtituta eſt. Quæ vera charitas eſt, ordinata eſt: quæ autem ordini nõ ſubiacet, ea fucus & ſimulatio charitatis cẽſeri debet Porrò ad ordinẽ regiminis Eccleſiaſtici, quẽ Epiſcopis & Paſtoribus ordinariis commiſit Deus, pertinet; inter veros & falſos prædicatores diſcernere; & non niſi probatos admittere, vt populum Dei doceant; cùm ſi paſſim quilibet doceat, quæ vult; innumeros in Eccleſia Dei errores proſeminari oporteat. Dormientibus enim paſtoribus, & falſos prædicatores non repellentibus, venit inimicus homo, & ſuperſeminat zizania. Hunc verò tam neceſſarium ordinem in Eccleſia Dei perturbant ij, qui miſſionem reſpuunt, & non neceſſariam putant. Quapropter Paulus mulierem, etiamſi neſcio qua charitate ad prædicandum inducatur, prædicare in Eccleſia non permiſit: quòd ea charitas ſubiectioni, qua debet eſſe viro ſuo ſubiecta, aduerſetur: pari verò ratione, charitas iſtorum prædicatorum, qui non mittuntur, ſubiectioni ordinariorum Eccleſiæ paſtorum aduerſatur, cùm ad eorum officiũ & regimẽ ſpectet, prædicatores probare, & probatos admittere: alios reiicere, & ab ouibus Chriſti repellere, in quo vera miſſionis ratio cernitur.

At enim

Digitized by Google

At enim, inquit, etiam ſtante miſſione, irrepunt Hæretici & Hæreſes; quod etiam temporibus Apoſtolorum accidit. Fateor irrepere poſſe; at neque tam facilè, nec ita, vt non deprehendantur. Nam ſi miſſionis ſuæ teſtimonium non oſtendant, eo ipſo ſuſpecti Doctores & Prædicatores habentur: ſi verò oſtendant quidem, ſed cùm eorum à quibus miſſi ſunt, doctrina non conſentiant, pro non miſſis habentur: cùm nō ea lege mittantur, vt quod libuerit prædicent: ſed vt eorū, à quibus legitimè miſſi ſunt, doctrinam, hoc eſt doctrinam Eccleſiæ Catholicæ, quæ ſucceſſione continua ab Apoſtolis nunquam in Eccleſia defecit, aut deficiet, doceant. Si igitur quid diſſentiens à communi Eccleſiæ, & Paſtorum ordinariorum doctrina afferant, eo ipſo erroris arguentur: quia contra leges miſſionis prædicant. Quod ſi hæc regula errores deprehendendi non eſſet, quàm difficilis eſſet Hæreſes conuincendi ratio. Nam quod aiunt, ex ipſo Dei verbo, id quod ei repugnat, perſpici poſſe: annè omnes Hæretici ſuos errores verbo Dei conſentire, ex verbo Dei non oſtendunt? quî igitur populus diſcernet, hos potiùs quàm illos verbo Dei repugnantia docere. Nam ſi id priuato cuiuſque officio fiat; manifeſtum eſt, quàm incertum & imperfectum ſit futurum tale iudicium, cùm falſa ſæpè probabiliora veris iudicentur; & quæ vno tempore omninò pro veris habentur, alio tempore falſa ab iiſdem iudicentur. Si verò id aliorum, id eſt Doctorum iudicio fiat, neceſſe eſt hoc etiam iudicium non eſſe omni dubitatione vacuum. Hæreſes enim non homines rudes & imperiti: ſed docti, & in ſacrarum literarum verſati inducunt in Eccleſiam; & quæ doctis inter Arrianos videntur vera, ea vti falſa à doctis Caluiniſtis reprobantur. Veriſſimumque eſt, quod D. Petrus apud Clementem Romanum in primo Recognitionum libro dixiſſe perhibetur: Sententias, & Definitiones rerum, non pro natura ſua ac veritate cauſarum; ſed pro ingeniis defendentium falſas exiſtimari aut veras.

Ex verbo Dei quomodo errores diſcerni poſsint.

Non igitur aliter animus in tanta iudiciorū diuerſitate cōquieſcere poteſt, quàm ſi eos Duces & Paſtores ſequamur, qui vel à Deo immediatè miſſi ſunt, vel ab iis qui à Deo miſſi ſunt, continua perſonarū & doctrinæ ſucceſſione deſcendunt. Quod enim Petro promiſit Chriſtus Eccleſiam in eo fundatam, fidemq; eius non defecturam: id nō aliter, quàm in Petri ſucceſſoribus adimpleri videmus. Sola enim doctrina, quam Petri ſucceſſores Romani Epiſcopi docēt, hucvſq; eadē perſeuerauit in mūdo totis his mille ſexcentis annis, nec vnquam interitū

Soli ſucceſſores Apoſtolorum Doctores veri.

aut defectionẽ paſſa eſt: alia verò nulla proferri poteſt, quę eam doctrinæ & ſucceſſionis conſtantiam, à temporibus Apoſtolorum ad tempora noſtra retinuerit: ſiquidem omnes aliæ doctrinæ, vel multo poſt tempora Apoſtolorum cœperunt; vel ſi tempore Apoſtolorum fuerũt, poſtea defecerunt, & poſt multa ſæcula iterum reuocatæ ſunt.

Doctrina Euangelicorum non eſt Apoſtolica.

Infirmum verò eſt illud effugium ſectariorum; cùm aiunt, ſuam Apoſtolicam eſſe. Cùm enim conſtet doctrinam Apoſtolicam nunquam in mundo deficere debuiſſe; niſi probent ſectarij ſuam doctrinam fuiſſe in orbe Chriſtiano ſemper prædicatam, & creditam; non perſuadebunt cuiquam cordato ſuam doctrinam Apoſtolicam eſſe. Soli Catholici, quemadmodũ id probare poſſunt, vel ex ipſa continua Romanorum Pontificum ſucceſſione ab ipſa ſede Petri; ita ſoli doctrinæ ſuæ authoritatem & veritatem tueri contra aduerſarios poſſunt. Fieri enim non poteſt, diuina promiſſa de Eccleſia nunquam defectura, non impleri: ea verò promiſſa in nulla alia quàm Catholica & Romana Eccleſia impleri, res ipſa loquitur. Nam & Græca recens Eccleſia, (quæ ſola antiquitate & ſucceſſione cum Romana certare poſſe videtur) ab illa veteri Græca Eccleſia in dogmatibus, ab octingentis circiter annis defecit: cùm omnibus aliis ſuperioribus ſæculis, tam cum ea, quàm cum Romana conſentiret: vt ex ſeptem generalibus cõmuni vtriuſq; Eccleſiæ conſenſu celebratis Conciliis perſpicuũ eſt.

Opponit rurſum Volkelius, Miniſtros in Eccleſia nullum gerere Magiſtratum; quippe qui non ita gregem Domini paſcere debeant, vt eidem dominentur; ſed vt doctrina & virtutum exemplis præluceant: neque etiam ſe pro Dei legatis gerere, hoc enim Apoſtolorum propriũ erat: neque vllam ſibi poteſtatem ſpiritualem vſurpare: neque illorũ auditores hoc ſibi arrogare, vt ſeſe illis horum aliquid dare poſſe exiſtiment. Satis quippe habent, ſi quos doctrina & moribus ad id officium inſtructos animaduerterint, ab iis poſtulare; vt ipſis diuinarum rerum explicatione præeant, nulla alia collata poteſtate. Hic Volkelius tot abſurda, quot verba habet. Nam in primis Magiſtratum ab Eccleſia tollere, eſt omnem poteſtatem & regimen Eccleſiaſticum euertere, & Epiſcoporum ac Paſtorum officia contra diuinam inſtitutionem negare. Nam quod ait, Paſtores verbo tantùm, & exemplo regere Eccleſiam Dei debere, abſq; vlla poteſtate contumaces ad officium cogendi; id vti falſiſſimum eſt, ita ſcripturis & rationi repugnat. Annè Chriſtus, Matthæi 18. contra eos, qui obedire Eccleſiæ contempſerint

Magiſtratum Eccleſiaſticum tollunt Ariani, ſed malè.

eam

eam poteſtatem non dedit, qua eos excommunicare, & pro ethnicis & publicanis habendos decernere Eccleſia poſſit? Num hæc poteſtas docendi eſt, an non potiùs cogendi? Quam etiam mox poteſtatem ligandi & ſoluendi appellat. Certè Paulus Corinthium inceſtuoſum non docendo, ſed ſathanæ tradendo ligauit. 1.Cor. 5. 5. Similiter & Hæreticos illos 1. Tim: 1.20. Iam vero ſi Paſtoribus & Præpoſitis Eccleſiæ obediendum eſſe Chriſtus præcepit; an non ij lege diuina habent conceſſum ius & poteſtatem, obedientiam à ſubditis éxigendi, eoſque ad ſibi obediendum præcepto òbligandi, & inobedientes pœnis conuenientibus ad officium compellendi? Si docendi ſolùm munus Paſtores obirent, non eſſet officium Paſtorum ab officio Doctorum diſtinctum: cùm tamen iſta vt diſtincta officia numerentur, Epheſ: 4. & diuerſo tempore ac ritu, hæ poteſtates docendi & ligandi ſunt à Chriſto datæ; & nomen ipſum Paſtoris poteſtatem repræſentat, qua oues regi, & in officio contineri debeant; docendo enim boni quidem aliquo modo regi poſſunt: mali verò in officio contineri minimè. Quocirca ſi Magiſtratus poteſtate ad officium cogente definitur, negari nullo modo poteſt in Eccleſia magiſtratus, niſi poteſtas à Chriſto conceſſa ſimul negetur.

Miniſtri Eccleſiæ non dominantur.

Quàm verò imperitè ſuam aſſertionem Volkelius tuetur, eò quòd Miniſtri non ita gregem Domini paſcere debeant, vt dominentur? Quaſi verò nemo Magiſtratum gerere poſſit, niſi dominetur. Is dominatur, qui vel abſoluta poteſtate præeſt, vt Rex, aut Princeps, vel cum ambitione ac tyrannide præeſt; faſtũ & ſua commoda ſectando, ſubditoſque per vim opprimendo. Qui verò cum poteſtate aliis præeſt, ſed vt Miniſter, non ſua ſed Domini poteſtate: is nequaquam dominari dicendus eſt; maximè ſi abſque faſtu & tyrannide cum omni humilitate, & moderatione præſit. Tales autem eſſe voluit Miniſtros Eccleſiæ ſuæ Chriſtus, Lucæ 22. 26. quibus etſi poteſtatẽ ſatis amplam conceſſerit, & fideles adſtrinxerit ad omnem obedientiam illis præſtandam; noluit tamen vt ea poteſtate, more Regum, vterentur, faſtum ſectantes; ſed cum humilitate miniſtrando: *neque vt dominantes in Cleris*, ſua commoda ſectando: *ſed forma facti gregis ex animo*; hoc eſt, omne virtutis & probitatis exemplum præbendo: alioqui, cùm res ita exiget, voluit ſeuerè vt animaduertant in delinquentes, eoſque tum excommunicent, tum poteſtati ſathanæ tradant, atque aliis pœnis coerceant.

Non

Digitized by Google

Non eſt igitur quod vereatur Volkelius, ſi Miniſtri in Eccleſia Magiſtratum gerant, illicò dominaturos; ſed vereatur potiùs Dei iudicium, cùm temerè, & nullo adhibito diſcrimine, Epiſcopos Catholicæ Eccleſiæ faſtûs, & ambitionis condemnat: etſi ſecundùm datam ſibi poteſtatem ad ædificationem, non ad deſtructionem Eccleſiæ Dei præſunt: & id re faciunt, quod Paulus Timotheo faciendum præcepit, ne quis poteſtatem & officium illorum condemnaret. 1. Tim: 4. 12.

Miniſtri, Dei Legati. *2. Cor. 5. 20.* Porrò Miniſtri & Paſtores, cùm ex inſtitutione diuina, & ratione ſui officij, Dei cauſam apud homines agunt, Deique nomine nobis loquuntur; an non meritò Dei Legatorum perſonam ſuſtinere credendi ſunt? ita vt cum Paulo iurè dicere poſſint: *Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos; Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Etſi enim Paulus fuerit immediatè à Deo miſſus, ad eam legationem pro Chriſto (cui ea legatio præcipuè tanquam magni conſilij Angelo incumbebat) obeundam; tamen eiuſdem legationis munus cæteris quoque Miniſtris ex officio incumbit, inſtitutione diuina. Neque ij ſolùm Legati dicendi ſunt, quibus id munus pro tempore committitur: ſed ij etiam, quibus ratione officij munus Legatorum conuenit, quo modo quidem dicuntur Legati Nati: quòd vnà cum officio quod gerunt, Legati quoque officium annexum ſemper habeant.

Miniſtrorum poteſtas ſpiritualis multiplex. Iam verò quàm temerè ſpiritualem poteſtatem Miniſtris Volkelius neget, ex dictis manifeſtè apparet. Habent enim animas regendi poteſtatem, quæ proculdubio ſpiritualis eſt: habent itidem conficiendorum Sacramentorum, & peccatorum tum remittendorum, tum retinendorum diuinam illam poteſtatem: habent claues regni cæleſtis, quibus cælum aperire & claudere poſſunt: poſſunt ligare & ſoluere, ac quicquid ligauerint ſuper terram, ligatum habebitur & in cælis: quodcunque ſoluerint ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. Quis hanc tantam poteſtatem Miniſtris Eccleſiæ à Chriſto conceſſam, ſpiritualem eſſe inficiari poterit? Eam verò, quia ſpiritualis eſt, non populus, nec quicunque fidelis; ſed Deus ipſe, & quos ille huic rei præfecit, conferre Miniſtris poſſunt. Porrò, etſi Arriani hanc in ſuis Miniſtris dignitatem non agnoſcant; quippe cùm & Sacramentis à Chriſto inſtitutis omnem dignitatem auferant: nos tamen Catholici, & agnoſcimus, & veneramur, & Deus ſæpènumero admirandis effectibus oſtendit, quàm ea poteſtas ſit ipſis etiam dæmonibus formidanda.

Etenim

Digitized by Google

Etenim, inquit Volkelius, in Eccleſia ſemper vſitatum fuiſſe, vt plebs Paſtorem eligeret: quod indicio eſt, nullam ſingularem in Miniſtris poteſtatem requiri; ſed ſatis eſſe, ſi à populo eligantur. Verùm conſiderare Volkelius debuit, vtrumque in Eccleſia vſu receptum fuiſſe; vt & populus quem maximè idoneum exiſtimaret, Paſtorem eligeret; & eum ritè conſecrandum & ordinandum Epiſcopis præſentaret. hæc eſt enim illa ſancti Spiritus gratia, per impoſitionem manuum, dari in ordinatione ſolita; quam non ſemel vrget Apoſtolus, non negligi, ſed excitari, & in actum deduci. Fruſtraque ſe torquet in omnem partem Volkelius, cùm Presbyteros ab Apoſtolis, cæteriſque Epiſcopis, non alia ratione conſtitui ſolitos aſſerit, quàm quia Eccleſiis, vt id facerent, authores fuêre: cùm ſatis conſtet, non id ſolùm egiſſe, ſed per impoſitionem manuum, illos ad id munus conſecraſſe, Spirituſque ſancti gratiam contuliſſe. Sic legimus Apoſtolos per ſingulas Eccleſias conſtituiſſe Presbyteros χειροτονήσαντες: quę vox non neceſſariò populi ſuffragia ſignificat; cùm etiam curia ſuo iudicio creando Magiſtratus, χειροτονεῖν dicebatur.

Plebs quomodo eligant Paſtores.

Denique Volkelius cùm quod opponeret non haberet, quaſi furiis actus, in Catholicos omnes inuehitur, ob horrendam, vt ipſe ait, à Chriſti Apoſtolorumque doctrina defectionem: *Cuius*, inquit, *toties ita conuictos eſſe, vt iam nullum illis, quo ſe defendant, præſidium ſuperſit; præter nugas inaniſſimas: eaſque ita proſtratas, atque profligatas, vt mireris hominum iſtorum ſummam impudentiam, qui illas ſubinde proferre audeant, tantumq; abeſt, vt illis contradicendo erremus, & ad eorum nugas reſpectu habito, vix aut neque vix quidem errare videamur.*

Furia Volkelij.

Ita Philiſtæus iſte inſultat agminibus Dei viuentis, quoque telo ipſe appetendus eſt, illud in alios vibrat. Ergonè vos obſcuriſſimi homines Arriani, è veſtris latebris prodiiſtis aliquando, vt Catholicos errorum aliquorum conuinceretis? quis hoc vidit, aut audiuit vnquam? Vos enim ob immanes veſtras in Deum blaſphemias, nec oculi hominum ferre queunt, & terra vix ſuſtinet, quin dehiſcat. Vos nihil de Filio Dei, eiuſque Diuinitate creditis: nihil de Spiritu ſancto: nihil de immortalitate animæ: nihil de Baptiſmi neceſſitate: nihil de Euchariſtia, & aliis Sacramentis: nihil de peccato originali; ac ne dæmones quidem (vt plerique veſtrum) eſſe creditis. Vos ergo talia hominum

Arriani nunquam Catholicos conuincerunt.

Digitized by Google

minum monſtra, qui omnes quotquot huc vſque fuerunt, Hæreticos impietate & blaſphemiis ſuperaſtis, errorum conuincere Catholicam Eccleſiam potuiſtis vnquam? & qui trabes ingentes in oculis geritis, feſtucam de alieno oculo educere potuiſtis? Quos verò errores vos Catholicis obiicitis: eos orbis Chriſtianus vniuerſus, omnibus à Chriſto ſæculis, pro articulis præcipuis fidei habuit, & veneratus eſt; vti omniũ temporum ſcripta, & generalia ex toto Chriſtiano orbe Concilia teſtantur; ita vt talpis cæciores ſint, qui iſta non videant. Vos Sanctorum debitum cultum, per ſummam contumeliam, idololatriam: Sanctos & eorum imagines idola appellatis: vobis Chriſtus adoratus in Euchariſtia, idolum eſt: Romanus Pontifex, Antichriſtus. Ita vos homines modeſtiſſimi, contumeliis & mendaciis viuitis; & quod veritate non poteſtis, falſis & blaſphemis criminationibus aſſequi tentatis. Ac quemadmodum Maiores & Anteſignani veſtri (qui tamen tot Hæreſibus, vti vos infames non fuerunt) cùm ſimilia Catholicis obiicerent; non Eccleſiam Catholicam, contra quam, ſecundùm Chriſti promiſſa, portæ inferi non præualebunt, ſuo mouerunt loco; ſed ipſi miſerrimè perierunt, & funditus ex toto Chriſtiano orbe, tanquam peſtes exterminati ſunt; licet nouis dæmonum fraudibus, & Dei permiſſu, iterum ab inferis reuocarentur. Idem vobis tanquam malorum parentum peioribus filiis polliceri debetis. Non vos Arriani conuiciſtis vnquam Catholicos, ſed vos orbis Chriſtianus, & ex toto orbe coacta Concilia generalia erroris & perfidiæ non ſemel conuicerunt: & cùm reſipiſcere nolletis, tanquam rebelles Eccleſiæ filios ſecundùm datam à Chriſto poteſtatem, à fidelium communione præciderunt, & pro ethnicis & publicanis haberi decreuerunt. Id quod in magno illo Nicœno trecentorum decem & octo Epiſcoporum Concilio, in Arrio præſtitum eſt: in quo ille totius Chriſtiani orbis decreto, tanquam Hæreticus condemnatus; diuina deinde manu vindice turpiſſimè extinctus eſt. Vos etiam nunc conuincunt erroris, omnes omnium temporum Patres, & Eccleſiæ lumina; quorum quot libri extant, tot ſunt ad veſtram perfidiam coarguendam argumenta; illos inquam Patres commemoro, quorum ſapientiam & ſanctitatem ſuſpexit mundus; quibusque vos ne conferri quidem digni eſtis; aut ſi conferamini, pueri, ac locuſtæ apparebitis. Deſideratis ergo amplius, aut per ſummam temeritatem affingere audebitis, ſanctiſſimis & ſapientiſſimis omniũ

Arriani conuicti à Catholicis non ſemel.

ſæculo-

ſæculorum Patribus impudentiam & nugas (vti dicitis) inaniſſimas? Itané cum religione pudorem etiam exuiſtis? Prodiiſtis ſemel atque iterum in certamen fidei, Nouogrodeci primùm in Lithuania, deinde Lublini; at qua felicitate? Nouogrodeci certè, vbi ego contra Licinium veſtrum tum dimicabam, id effeciſtis, vt pluſquam duodecim viri nobiles veſtris erroribus perſpectis, à vobis deficerent, & ad Eccleſiæ Catholicæ caſtra tranſirent. Lublini verò commota errorum veſtrorum lacuna tantum fœtorem dedit, vt vos auditores cane peius & angue fuerint execrari. Ita vos, cùm in latebris veſtris degitis, ſapientes vobis videmini; cùm verò in lucem proceditis aliquando, quantæ veſtræ tenebræ ſint, illicò deprehenduntur. Deſine igitur Volkeli Catholicis ea impudenter obiicere, quæ probare non potes, & quæ nemo alius præter te ipſum credet. Maior eſt Catholica integritas, & veritas, quàm vt veſtris contumeliis & conuiciis imminui, aut obſcurari poſſit. Vicit his mille ſexcentis annis Catholica veritas Hæreſes omnes, à nullaque ſuperata eſt vnquam; vincet & vos procul dubio, ſiue vt conuertamini ad ſalutem, ſiue ſi conuerti renueritis, vt pereatis de via iuſta, & Chriſti, quem nunc blaſphematis, vnà cum Arrio veſtro, tremendo iudicio ſubiiciamini.

Concluditur Miniſtros Arrianos teneri vocationis & miſſionis ſuæ rationem reddere. CAP: VIII.

EX dictis perſpicuum eſt Miniſtros Arrianos, vt miſſionis ſuæ rationem reddant, omni iure obligatos eſſe. Primùm, quia id ſacræ literæ requirunt, vti hactenus probatum eſt. Deinde quòd Miniſtrorum Eccleſiæ officium tam ſanctum eſt, & tam multiplicem poteſtatem ſpiritualem, & planè diuinam continet, vt non niſi diuinitus imponi poſſit. *1. Sacra literæ.* *2. Officij ſanctitas.*

Ad hæc Paſtorum Eccleſiæ Chriſti ea eſt poteſtas, vt pro ea quam iure diuino tenentur habere ouium ſibi commiſſarum cura, debeant & falſos prædicatores arcere, & bonos ac probatos admittere. Ni id faciant, officio ſuo, & incolumitati ouium nequaquam facient ſatis. Poſſunt igitur aduerſus Miniſtros Arrianos iure ſuo agere; vel vt miſſionis ſuæ teſtimonium oſtendant, vel ſi id recuſent, pro falſis prædicatoribus habeantur, & ab ouili Chriſti tanquam lupi, & malæ beſtiæ *3. Ius probandi Prædicatores.*

 repel-

Tertulia-nus. repellantur. Sic veteres illos primæ Eccleſiæ Paſtores factitaſſe, vel vnicus Tertullianus in lib: de præſcriptionibus Hæreticorum teſtis eſſe poteſt. Ita enim iſtos non miſſos aggrediebantur: *Qui eſtis? quando & vnde veniſtis? quid in meo agitis non mei? quo denique Marcion iure ſyluam meam cædis? qua licentia Valentine fontes meos transuertis? qua poteſtate Apelles, limites meos commoues? mea eſt poſſeſſio, quid hic cæteri ad voluntatem veſtram ſeminatis, & paſcitis? mea eſt poſſeſſio, olim poſſideo, prior poſſideo, habeo origines firmas ab ipſis authoribus, quorum fuit res. Ego ſum hæres Apoſtolorum, ſicut cauerunt teſtamento ſuo, ſicut fidei commiſerunt, ſicut adiurauerunt: ita teneo. Vos certè exhæreditauerunt & abdicauerunt, vt extraneos & inimicos.* Hæc Tertullianus, & alia multa, quibus doctrinam iſtorum nouorum Arrianorum planè euertit.

4. Periculum errorum. Accedit, quòd Miniſtris non miſſis nemo tutè fidem adhibere poſſit, neque in animum inducere illos docendo non errare, & eo, quē Spiritus ſanctus in ſcripturis intendit, ſenſu ſcripturas explicare; quippe quorum authoritas nullis documentis comprobetur. Quocirca & Chriſtus cùm mitteret Apoſtolos prædicandi cauſa in mundum vniuerſum, priùs ſuam miſſionem à Patre quaſi literis quibuſdam patentibus oſtendit illis verbis: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* vt ex eo intelligerent Apoſtoli, ipſum qui legitimè miſſus fuerit à Deo, legitimam quoque mittendi alios poteſtatem habere.

5. Obedientia ponderibus deleta. Obedientiam verò, quam diuino mandato præſtare tenentur ſuis Paſtoribus fideles, qua tandem ratione non miſſis præſtare tenebuntur? Cùm enim quis ab altero obedientiam exigit, prima de iure quæſtio eſt; quod illi qui miſſi non ſunt, nullum probare poſſunt. Quod ſi, vt Arriani volunt, auditorum arbitrio Paſtores conſtituuntur, eorundem arbitrio etiam tollentur; quocirca & Paſtores arbitrarii erunt, & obedientia arbitraria. Quē enim quis nutu ſuo priuare omni in ſe poteſtate poteſt, eidem quoq; niſi pro arbitratu ſuo obedire, ſi volet, tenebitur.

6. Licentia immenſa. Denique ſi miſſio non requiritur, ſed arbitrio cuiuſque miniſter conſtituatur: nulla ratio afferri poteſt, quominus & mulier, & Dæmon fungi miniſterio poſſint: cùm ad miniſterium nulla alia poteſtas ſit neceſſaria, niſi ea qua quis verbum Dei prædicare, & explicare aliis valeat. Quæ omnes rationes cùm ante iam probatæ ſint, alia confirmatione non indigent: illud ſanè efficiunt, vt quilibet Miniſter teneatur ſuæ miſſionis rationem reddere, cùm abſq; miſſione Miniſter eſſe nō poſſit.

Quare

Digitized by Google

Quare quùm Volkelius Miniſtros Arrianos, neq; miſſos eſſe, nec pto miſſis ſe gerere; nec vt ſe pro talibus gerant opus eſſe, affirmat; eo ipſo omnem Miniſtrorum rationem euertit, & miniſtros ſine ea, quæ ipſos conſtituit, poteſtate, miniſtros facit; quod tantundem eſt, ac Regem aliquem, aut iudicem, vel conſulem, ſine Regis, iudicis, conſulis, poteſtate conſtituere, hiſtrionicè potius, vt in ſcænis & comœdiis fit, quàm aliqua vera ratione. Neque verò eſt neceſſe ad refellendum Anonymi argumentum, quod Volkelius defendendum ſuſcepit, aliud quid afferre: ex iis enim quæ hactenus de neceſſitate miſſionis docuimus, & argumentũ Anonymi per ſe concedit, & Volkelii præſidia ruunt, & quàm firmis, ac ſolidis rationibus, Anonymus in appẽdice Nodi Gordii refutatus ſit, liquido apparet. Reſtat igitur, vt ad examen decem demonſtrationum, quibus Miniſtri Euangelici non eſſe legitimi Miniſtri Nodo Gordio demonſtrantur, veniamus.

Examen primæ demonſtrationis, qua probatur Miniſtros Euangelicos, ob defectum vocationis & miſſionis, non eſſe legitimos Miniſtros. CAP. IX.

QVIcunq; non eſt legitimè vocatus & miſſus, non poteſt eſſe legitimus Miniſter, Miniſtri Euangelici non ſunt legitimè vocati & miſſi, non ſunt igitur legitimi Miniſtri. Hîc primum Volkelius formam argumenti, quòd ſit ex puris negatiuis, condemnat. Præclarum ſanè Logicum, qui Syllogiſmum ex medio termino negatiuo, cum eo qui eſt ex puris negatiuis, cõfundit: didiciſſet ſaltem à noſtris Logicis Caliſſienſibus, quantum inter hos Syllogiſmos interſit. Nam ſi medius terminus ſit negatiuus, minor propoſitio quantumuis negatiuè enuncietur, ex vi tamen formæ in affirmatiuam reſoluitur; cùm ea negatio, medii termini ſit, non propoſitionis propria; debetq; ex vi formæ poſtponi copulæ, & ex conſequenti conſtituet propoſitionem affirmatiuam. Pudeat hæc ignorare Volkelium, & imperitè ea in aliis reprehendere, quæ ipſe nondum didicit. Nam conſimili ratione reprehendendus eſſet Ariſtoteles, qui plurimas eiuſmodi demonſtrationes habet; vt cùm demonſtrat Planetas non ſcintillare, quia non admodum diſtant, & è conuerſo. Neq; afferri poteſt inſtantia, in qua talis argumentandi forma non concludat; ſed hoc erratum, cùm Logicum ſit, ad Scholas amandetur.

Volkelius malus Logicus.

Digitized by Google

Quod ad rem ipſam attinet, Volkelius ait non poſſe, niſi per ſummam iniuriam negari, Miniſtros Euangelicos eſſe legitimè miſſos, modo in ſcripturis præſcripto: quamuis externa Miniſtrorum vocatio, & miſſio, nequaquam Miniſterii eſſentia contineatur.

Hic Volkelius in primis malè cauſam Euangelicorum tuetur. Nam ii cum Luthero & Caluino miſſionem, & vocationem externam, ſiue extraordinariam, & immediatam, ſiue ordinariam & mediatam, ita ad eſſentiam Miniſterii requirunt, vt ſine ea miniſterii eſſentiam conſtare minimè poſſe perſuaſum habeant. Proferam ea de re tam Lutheri quam Caluini teſtimonium: hos enim duces cæteri Euangelici ſequuntur. Lutherus igitur in caput primum ad Galatas diſertè docet, *vocationem ad miniſterium Eccleſiaſticum eſſe duplicem, alteram mediatam, alteram verò immediatam.* Qua autem vocatione hodie ad Eccleſiaſticum miniſterium vocentur, docet in hunc modum: *Deus,* inquit, *vocat nos hodie omnes ad miniſterium verbi, vocatione mediata, hoc eſt vocatione quæ fit per medium, id eſt per hominem. Apoſtoli verò immediatè vocati ſunt ab ipſo Chriſto, ſicut Prophetæ in veteri Teſtamento ab ipſo Deo. Apoſtoli poſtea vocauerunt ſuos diſcipulos, vt Paulus Timotheum, Titum, & qui deinde Epiſcopos, Epiſcopi verò ſuos ſucceſſores vocauerunt. Ea vocatio durauit, vſq; ad noſtra tempora, & durabit vſq; ad finem mundi, eſtq; mediata, quia per medium fit, id eſt per hominem, & tamen diuina eſt.* Hæc Lutherus. Porrò hanc rationem ita neceſſariam eſſe, vt ſine illa Miniſter legitimus eſſe non poſſit, docet expreſſè idem Lutherus Tomo 5. in Epiſtola de clancularijs concionatoribus, cum quibus ita agendum docet. *Vnde venis? Quis te miſit? Quis tibi mandauit vt mihi concionareris? Vbi habes teſtimonia, quòd ab homine vocatus, & miſſus ſis, vbi ſunt ſigna & prodigia, ſi Deus miſit? Quocirca aut proba tuam vocationem, aut ab Euangelizando deſiſte, quia eſt officium: officium autem nemo gerere poteſt ſine mandato, aut vocatione.* & Tomo 2. in Epiſtola ad Melanthonem, ait: *Deum neminem vnquã miſiſſe, niſi vel per hominem vocatum, vel per ſigna declaratum, ne ipſum quidem filiũ: neque enim,* (vt ipſe ait in capite 5. Matthæi Tomo 7.) *omnibus erronibus fides habenda eſt, Spiritum ſanctum ſe habere iactantibus, & ſeſe in omnes ædes ingerentibus: producat teſtes ſe notum eſſe, aut ſignis, & literis teſtatum faciat, docendi officium ſibi commiſſum eſſe.*

Lutheri doctrina de Vocationis Miniſtrorum neceſſitate.

Eadem docet Caluinus 4. inſtit: cap: 3. 11. 10. in hunc modum. *Iam verò cùm ordine omnia & decenter in ſacro cœtu gerenda ſint: nihil eſt, in quo id ſeruari diligentius oporteat, quàm in conſtituenda gubernatione: quia nuſquã maius peri-*

Doctrina Caluini de Miniſtrorum Vocationis neceſſitate

ius periculum eſt, ſi quid inordinatè geritur. Itaq; ne homines inquieti & turbulenti (quod alius futurum erat) temere ſe ad docendum vel regendum ingererent; nominatim cautum eſt, ne quis ſine vocatione publicum in Eccleſia munus ſibi ſumat. Ergo vt quis cenſeatur verus Eccleſiæ Miniſter, primò ritè vocatus ſit oportet. Hoc apud Paulum animaduertere ſæpius licet, qui vbi ſuum Apoſtolatum vult approbare, cum ſua in munere obeundo fidelitate: vocationem ferè ſemper allegat. Si tantus Chriſti Miniſter authoritatem ſibi arrogare non audet, vt in Eccleſia audiatur, niſi quia & Domini mandato in hoc eſt conſtitutus, & fideliter peragit quod ſibi commiſſum eſt: quanta impudentia erit, ſi quiſquam mortalium, vtroq; vel altero iſtorum deſtitutus, eiuſmodi honorem ſibi poſtulet.

Impoſitionis manuū ritus ſecundum Caluinum.

Idem Caluinus ibidem nu: 16 docet, impoſitione manuum Miniſtros ordinandos eſſe. Sic enim ait: *Conſtat Apoſtolos non alia ceremonia vſos eſſe, quum aliquem miniſterio admouebant, quàm manuum impoſitione. Hunc autem ritum fluxiſſe arbitror, ab Hebræorum more, qui quod benedictum, ac conſecratum volebant, manuum impoſitione Deo quaſi repræſentabant. Sic Iacob benedicturus Ephraim & Manaſſe, eorum capitibus manum impoſuit, quod ſequutus eſt Dominus noſter, cùm ſuper infantes precationem faceret. Eodem (vt arbitror) ſignificatu Iudæi, ex legis præſcripto, ſuis ſacrificiis manus imponebant. Quare Apoſtoli per manum impoſitionem eum ſe Deo offerre ſignificabant, quem initiabant in miniſterium. Quanquam vſi ſunt etiam ſuper eos, quibus viſibiles Spiritus gratias conferebant. Vtcunq; ſit, fuit hic ſolennis ritus, quoties ad miniſterium Eccleſiaſticum aliquem vocabant. Sic Paſtores & Doctores, ſic Diaconos conſecrabant. Licet autē nullū extet certum præceptū de manuū impoſitione: quia tamē fuiſſe in perpetuo vſu Apoſtolis videmus, illa tam accurata eorū obſeruatio, præcepti vice nobis eſſe debet. Et certè vtilior eſt eiuſmodi ſymbolo, cùm miniſterij dignitatem populo commendari, tum eum qui ordinatur admonere, ipſum iam non eſſe ſui iuris, ſed Deo, & Eccleſiæ in ſeruitutem addictum. Præterea non erit inane ſignum, ſi in germanam ſuam originem reſtitutum fuerit. Nam ſi nihil fruſtra Spiritus Dei in Eccleſia inſtituit, hanc ceremoniam, cùm ab eo profecta ſit, ſentiemus non eſſe inutilem.*

Addit deniq; quod Volkelii cauſam planè conficit. *Hoc inquit, poſtremo habendum eſt, non vniuerſam multitudinem manus impoſuiſſe ſuis miniſtris, ſed ſolos Paſtores. Quanquam incertum eſt, an plures ſemper manus impoſuerint nec ne? Illud quidem in Diaconis Paulo & Barnaba, & paucis quibuſdam alijs factum fuiſſe conſtat. Sed Paulus ipſe alibi ſe, non alios complures Timotheo manus impoſuiſſe commemorat. Admoneo te inquit, vt gratiam ſuſcites quæ in te eſt per impoſitionem manuum mearum.* Hæc Caluinus: quæ idcirco copioſiùs com-

memorare

memorare volui: vt Volkelius intelligeret, ſe nihil commune cum aliis Euangelicis, quo ad vocationem, & miſſionem Miniſtrorum, habere, ineptéq; cauſam illorum ea ratione tueri, qua illi ſe vocatos, & miſſos eſſe nullo modo haberi volunt. Nam Volkelius nullam diuinam vocationem, & ordinationem, ac conſecrationem externam Miniſtrorum requirit. Lutherus contra, & Caluinus, vtrunque ad Miniſterii vocationem ita requirunt, vt ſine iis miniſterii eſſentiam conſtare non putent: quod etiam tum ſcripturis, tum bonis rationibus confirmant.

1. Cur miſſionem requirat Lutherus & Caluinus. Primùm, quòd Deus ne Filium quidem ſine teſtimonio miſſionis venire in mundum voluit, ita vt miraculis ſuam miſſionem comprobare debuerit. Paulus verò toties vocationem ſuam commemorat, à Deo non per hominem fuiſſe, vt ſuæ prædicationi fidem & authoritatem teſtimonio ſuæ miſſionis conciliaret.

2. Secundò, quòd alioqui omnibus erronibus Spiritum ſanctum habere ſe iactantibus, fides adhibenda eſſet; ii ſiquidem omnes ex ſcripturis ſe vera docere prædicant.

3. Tertiò, quia officium nemo gerere poteſt ſine mandato, aut vocatione.

4. Quartò, omnia inordinatè fierent in Eccleſia, ſi Miniſtri, eo ſolo quòd à plebe eliguntur & conducuntur, crearentur.

Vrgetur Volkelius Verùm Volkelius non ſolum Euangelicorum cauſam malè tuetur, & contra ipſorum mentem: ſed etiam ſecum ipſe pugnat. Etenim cùm ait miniſtros Euangelicos eſſe legitimè miſſos, modo in ſcripturis præſcripto: peto de ſuiſné Miniſtris Arrianis id intelligi velit, an de Lutheranis & Caluinianis? De ſuis ſi intelligi velit: ſecum ipſe pugnabit: cùm toto hoc libro nihil aliud crepet, quàm ſuos Miniſtros ad miniſterij munꝰ nulla miſſione egere; & fortaſſis nõ immeritò: ita enim *Miniſtri Arriani conducuntur ad labores non creantur.* Miniſtri apud Arrianos admittuntur ad miniſterium, ſicut mercenarii ad labores dato precio; ita vt creare Miniſtrum Arrianis ſit conducere illum ſtipendio ad concionandum. Non enim vllam illis ſpiritualem poteſtatem conferunt, aut vt conferatur à Deo, neceſſarium putant; ſed illorum operis ad concionandum ita prorſus vtuntur, ſicut vtimur aptis mercenariis ad labores domeſticos precio oblato conductis. Quod ſi de Lutheranorum & Caluiniſtarum Miniſtris id intelligi vult: iterum ſecum pugnabit Volkelius. Nam ſi modus quo miniſtri Lutherani &

Digitized by Google

rani, & Caluiniani mittuntur, eſt in ſcriptura præſcriptus: falſum erit quod toties aſſeruit Volkelius, nullo ſcripturæ teſtimonio miſſionem Miniſtris neceſſariam eſſe oſtendi poſſe, errareque grauiſſimè Arrianos; cùm modum miſſionis in ſcripturis præſcriptum in ſuis Miniſtris non obſeruant. Si verò talis modus non ſit in ſcripturis præſcriptus, falſum erit quod aſſerit, Miniſtros Euangelicos modo in ſcripturis præſcripto eſſe legitimè miſſos.

Miſſio duplex: mediata, & immediata.

Atque vt tota res apertiùs pateat, exponendum primo eſt: quis vocationis & miſſionis modus ſit in ſcripturis præſcriptus, tum an is modus ſit neceſſariò adhibendus; demum an Miniſtris Euangelicis competat. Et quidem extra omnem controuerſiam eſt, duplicem miſſionem in ſacris literis nobis præſcriptam eſſe: immediatam alteram, alteram mediatam. Illa fit ab ipſo Deo immediatè: hæc à Deo, ſed per homines à Deo miſſos, quique ad mittendum alios à Deo poteſtatem acceperunt. Deus in lege veteri immediatè miſit Prophetas, in lege noua Chriſtum. Chriſtus etiam miſit immediatè Apoſtolos: Mediatè verò Apoſtoli poteſtate à Chriſto accepta, miſerunt Epiſcopos à ſe ordinatos & conſecratos, Timotheum, Titum, Ignatium, tum deinde ordinàrunt, & miſerunt alios tum Epiſcopos, tum Presbyteros, cum eadem quam ipſi habuerunt, poteſtate; ad eadem munia obeunda, tam in prædicatione, quàm in miniſterio Sacramentorum.

Miſſio mediata quãti facienda.

Tanti verò fecit Deus, & fieri ab omnibus in Eccleſia voluit, hanc mediatam & ordinariam poteſtatem mittendi, vt eos, quos ipſe per ſeipſum vocabat, ad Eccleſiam & eius ordinarios Paſtores remitteret, eorumq; poteſtati ipſos ſubjiceret. Sic ad Cornelium Angelum è cœlo mittit, vt Petrum accerſeret, ab eoque non ab Angelo viam ſalutis addiſceret, Actor: 10. Sic Paulum, quem Chriſtus ipſe mirabili illa ratione vocauerat, inſtruendum, & erudiendum, ad Ananiam remittit. Acto: 9. 7.

Cur hominum miniſterio vtatur Deus.

Tametſi enim per ſeipſum ſine alio quouis adminiculo, vel etiam per Angelos, regere ſuam Eccleſiam poſſet: complures ſunt tamen cauſæ, cur per homines malit. Hoc enim modo primum dignationem erga
nos ſuam declarat, cùm ex hominibus ſumit, quibus partes ſuas co- 1.
mittat: & facit eos voluntatis ſuæ interpretes, & ex ore ipſorum veluti ex Sanctuario reſponſa hominibus reddit: deniq; in ipſis perſo-
nam ſuam repræſentari vult, dicendo: *Qui vos audit, me audit; qui vos* 2.
ſpernit, me ſpernit. Luc: 10. 16. Deinde id optimum, ac vtiliſſimum ad hu-

militatem exercitium eſt, dum nos per homines ſimiles nobis, interdum etiam dignitate inferiores, gubernat. Si enim Deus de cælo nobis loqueretur, mirum non eſſet, ſi eius voluntati nos illico obſequentes exhiberemus: at cùm per homines nobis loquitur, & imperat, magnam hominibus virtutis & meriti occaſionem dat: vt ei omnem reuerentiam, & obedientiam in hominibus præbeamus, atq; ita experi-
5. mento pateat, quanti ipſe à nobis fiat. Ad hæc, ad fouendam mutuam charitatem, & vnitatem retinendam, hoc veluti vinculo ſuos fideles colligare voluit. Dum enim vnus conſtituitur Paſtor, de cuius ore & manibus omnia cæleſtia dona communicantur; fit, vt nec oues Paſtorem contemnant, cuius ope indigent: nec Paſtor oues deſpiciat, pro quarum ſalute inuigilare tenetur, tanquam rationem redditurus. Deniq; & diſſenſionum omnes cauſæ præciduntur, cùm vni, Dei nomine ab omnibus obtemperatur. Id verò Paulus expreſſiſſe videtur ad
4. Ephe: 4. cùm ait, Chriſtum aſcendiſſe in cælum, vt impleret omnia: modum verò, & rationem implendi donis ſuis Eccleſiam, hanc ſubiungit, *& ipſe dedit alios quidem Apoſtolos, alios Prophetas, alios autem Euangeliſtas, alios Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii*: ſcilicet per Miniſtros ſuos, & eorum miniſteria, dona ſua diuina hominibus impartit; conſummat & perficit Sanctos, ædificat corpus ſuum ex fidelibus, veluti ex membris, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & impleatur numerus fidelium ab ipſo, ab æterno prædefinitus. Cùm igitur tantam voluerit eſſe poteſtatem Miniſtrorum Eccleſiæ, vt per eos omnia ſua dona diſpenſet, eoſque veluti artifex inſtrumenta ad omnia ſua opera adhibeat: dubitandum non eſt, poteſtatem quoque mittendi, ſeu Paſtores, & legitimos Miniſtros creandi, iiſdem reliquiſſe, cùm ea ſit magna illius regiminis pars, de quo Paulus ait, Actor: 20. à ſancto Spiritu poſitos eſſe Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.

Miſſio mediata, debet eſſe ab hominibus diuinitus miſſis.

Ex quo apparet, quàm imperitè dixerit hoc loco Volkelius ad mediatam miſſionem non requiri, vt Miniſtri mittantur, & creentur ab iis, qui diuinitus miſſi ſunt: id enim ait præter omnem ſcripturæ authoritatem aſſeri. Quaſi verò illa, quæ in ſcripturis habemus, miſſionis mediatæ exempla, non ſint ab hominibus diuinitus miſſis, ſcilicet
1. Apoſtolis, & aliis Epiſcopis ab his ordinatis. Deinde, an non iis ſolis
2. poteſtas mittendi conuenit, quos ſanctus Spiritus poſuit regere Eccleſiam

ſiam Dei? Eam enim poteſtatem in poteſtate regendi Eccleſiam contineri per ſe perſpicuũ eſt. Qui igitur poteſtatem mittendi habet, à Spiritu S. habet, ad quem pertinet ponere Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei. Ad hæc, ſi miſſio mediatà diuina eſt, in Deum referri procul dubio 3. debet. Deus enim quæcunq; facit, vel ſua immediata poteſtate facit, vel poteſtate hominibus communicata. Neceſſe igitur eſt, eos qui mediatè à Deo mittuntur, non per quoſcunque homines mitti, ſed eos tantummodo, qui poteſtatem mittendi à Deo acceperunt. Alioqui nihil valet miſſio, ſi ab eo fiat, qui poteſtatem mittendi non habuit; quod enim ſine poteſtate legitima fit, ſemper irritum & inane cenſetur. Iam verò, ſi vocatio & miſſio fiat ab hominibus diuinitus non 4. miſſis; ea humana, non diuina habenda eſt; ciuilis & politica, non Eccleſiaſtica & cœleſtis; cùm poteſtate à ſpiritu humano & politico, non Chriſti & diuino fiat; eſtque illi perſimilis, quà vel lectores ad docendum pretio conducuntur pro Scholis, vel operarii ad agros colendos, ſiue alios labores domi obeundos. Deniq; ſi ea ratione mediata miſſio definiatur, vt à quibuſlibet hominibus, etiam diuinitus non miſſis, fieri poſſit: Primùm neceſſe eſt omnem authoritatem miſſionis perire: ea ſiquidem ex ſola Dei mittentis authoritate pendet. Deniq; nullus Hæreticorum eſſet, qui ſuam miſſionem eo modo probare non poſſit. Inueniret enim ſutorem, & cerdonem quempiam, à quo mitteretur. Aio igitur miſſionem mediatam, cùm diuina ſit, ab hominibus diuinitus miſſis, dependere. Quocirca qui per longam ſeriem & ſucceſſionem tam poteſtatis, quàm doctrinæ, deſcendunt ab Apoſtolis & Apoſtolicis viris, ij & miſſionem ſuam mediatam, & alios mittendi poteſtatem probare poſſunt; ſuam enim miſſionem in Dei poteſtatem reducunt & reſoluunt. Alii porrò, qui hanc reſolutionem facere non poſſunt, nequaquam ex eo numero ſunt, qui miſſi mediatè à Deo dici poſſint.

Miſſio immediata miraculis probanda.

Mediata miſſio probanda ſucceſſione.

Ex quo etiam manifeſtum eſt, alia ratione miſſionem mediatam quàm immediatam probandam eſſe. Nam immediata miſſio nunquam fit ſine teſtimonio miraculorum, vt exemplis ſcripturæ facilè demonſtratur. Quomodo enim ſine miraculis certa fides adhiberi poteſt dicenti ſe eſſe à Deo miſſum; hac enim ratione omnes Hæretici, & falſi Doctores, ſe eſſe miſſos mentiuntur: & qui illis fidem adhibent, in errorem inducuntur. Mediata verò, non miraculis, ſed ſucceſſione, & deri-

& deriuatione ab iis, qui diuinitus miſſi ſunt, demonſtranda eſt. Neq; enim nouis miraculis opus eſt, ſi ad eos quis ſe referat, quorum miſsio miraculis claruit, & diuino teſtimonio comprobata eſt. Non ſatis autem eſt ſe ad eos referre nudo verbo, vt ſi quis dicat ſe ea docere & facere, quæ illos docuiſſe, & feciſſe ex ſcriptis illorum ipſe coniiciat; hoc enim modo ſe referunt omnes Hæretici ad Apoſtolos: neq; tamen reuera hæredes Apoſtolorum ſunt, ſiue in fide, ſiue in poteſtate. Nam vera fides Apoſtolica, etſi in ſcripturis eorum continetur; tamen ſi quis ſcripturas eorum non eo ſenſu, quo ab illis conſcriptæ ſunt, intelligat aut interpretetur: non fidem, ſed hæreſes ex illis percipiet; vti omnes Hæreticos facere videmus, qui vti omnes ſcriptis Apoſtolicis gloriantur: ita nullus eorum ſenſum, & ſpiritum Apoſtolorum aſſequitur; ſcripturæ enim ſine ſuo proprio ſenſu, non ſunt ſcripturæ, niſi materialiter, vt dici ſolet. Neceſſe eſt ergo ſcripturas Apoſtolicas vnà cum ſenſu, & interpretatione earum ex traditione & ſucceſſione perpetua accipere: ita, vt quo ſenſu ſcripturas & fidem docuerunt Apoſtoli primos illos fideles, à quibus continua ſucceſſione fides ad nos vſque propagata eſt; eundem ſenſum verum eſſe, & minimè dubium oporteat.

1. Fidei.

Neque ſolùm fides, ſed & poteſtas illius, quam Chriſtus Eccleſiæ ſuæ reliquit Communicatio, abſque ſucceſſione fieri non poteſt. Qua enim ratione poteſtas ab Apoſtolis deriuata eſt per ordinationem, & de manu quodam modo in manum tradita; eadem ratione prorſus ab illis in alios, & ab his in alios ad nos vſque deriuari debet. Neque enim ſola ſcriptura cuiquam poteſtatem tradit, aut ordinat aliquem, vel Miniſtrum ac Paſtorem creat: ſed homines, dum ſuam poteſtatem quam diuinitus acceperunt, diuina quoq; inſtitutione aliis impartiunt. Quod ſi ſucceſſio deficiat, aut interrumpatur: poteſtatem quoque deficere, & interrumpi neceſſe eſt; vel ab alio aliquo diuinitus, & præter ordinem à Deo excitato, reparari; cui malo egregiè Chriſtus prouidit, promittens Eccleſiæ ſuæ perpetuam, & nunquam interrũpendam ſucceſſionem, fidem indeficientem, eamque ſoliditatem, vt portæ inferi aduerſus eam non ſint præualituræ. Quod ſine perpetua ſucceſſione Paſtorum Eccleſiæ ne intelligi quidem poteſt. Deficientibus enim legitimis Paſtoribus, Eccleſiam deficere neceſſe eſſet. Adiecit & ſuam perpetuam protectionem, & vt ita dicam, aſſiſtentiam: *Ego vobiſcum ſum*

2. Poteſtatis.

Succeſſio perpetua promiſſa Eccleſiæ.

omni-

omnibus diebus vſque ad conſumationem ſæculi. Nulli igitur dies vſq; ad conſumationem ſæculi eſſe poterunt, quibus ſuam Eccleſiam deſerat Chriſtus, & permittat deficere. Promiſit etiam ſpiritum veritatis, qui maneat in Eccleſia in æternum. Ita vt verendum Eccleſiæ non ſit: vt aliquo vel breui tempore illi non adſit, nec maneat apud illam.

Ridiculus verò eſt Volkelius, cùm ait Apoſtolicam doctrinam, quatenus ſacris literis conſignata eſt, nunquam defecturam, non verò quatenus ad homines ſpectat; quos, inquit, experientia certum eſt ad idololatriam, & varios errores deficere. Quaſi verò promiſſa Chriſti eò ſpectent, vt ſcripturas nunquam defecturas: Eccleſiam verò, quæ hominibus vt membris conſtat, defecturam exiſtimemus. Annè doctrina Chriſti & Apoſtolorum non deficit, quando in hominibus deficit? Sit enim ſcriptura in medio poſita, & nullus eam intelligat, aut credat: nonnè tunc doctrinam & fidem Apoſtolicam deficere exiſtimandum erit? Fides enim non ſcripta, ſed cordibus hominum impreſſa deficere non debuit, ſecundùm Chriſti promiſſa. Cùm verò Volkelius ait, experientia patere defectionem à fide, & Apoſtolica doctrina. Si id de Arrianorum, aut aliquo ſimili cœtu particulari intelligat, verum dicit. ſi verò de totius Eccleſiæ defectione, turpiter errat, & ſcripturis contradicit; non deficit enim, nec deficiet vnquam Romanæ Eccleſiæ fides, qua in Petro fundata perpetuæ fidei, & poteſtatis ſucceſſione gloriatur, quam & ſi talpæ iti, & veſpertiliones aduertere nolint: videt tamen & agnoſcit orbis Chriſtianus vniuerſus. Euoluantur ſcripta ſanctorum Patrum, legantur omnium ætatum Doctores, Concilia tam generalia quàm prouincialia, totis his mille ſexcētis annis habita, Annales omniū Eccleſiarū: tum re ipſa apparebit, Romanæ Eccleſiæ fidē ex Apoſtolicis fontibus hauſtam, omnibus ſæculis ad noſtra tempora perdurâſſe. Ergo ſi Chriſto ſpondente, fides & Eccleſia ab ipſo fundata, non erat vnquam peritura: alterum è duobus conſequens eſt, aut fidem Romanæ Eccleſię eſſe Apoſtolicam fidem, quòd eadem ſemper ab Apoſtolorum temporibus perdurauit, aut nullam veram fidem Chriſtianam, & Apoſtolicam eſſe in mundo, cum nulla alia fides eam abſque interruptione ſucceſſionem, ab Apoſtolorum temporibus demonſtrare poſſit, quam notam veræ & Apoſtolicæ fidei Chriſtus eſſe voluit. Fruſtra verò fucum Volkelius facit, cum ait ſe ſuoſq; antiquitati Romanæ Eccleſiæ repugnare: illi verò Apoſtolicæ antiquitati non repugnare.

Ridicule reſpondet Volkelius.

Refellitur.

 gnare.

gnare. Nam illa Apoſtolica, quam vocant antiquitas, Chriſto promittẽte, perpetuari abſq; interruptione ad finem vſq; mundi debuit. Si igitur Arriani antiquitati omnium ſæculorum poſt tempora Apoſtolorum repugnant, etiam illi Apoſtolicæ repugnare conuincuntur; idemque eſt Apoſtolicæ Eccleſiæ, & ei quæ ab Apoſtolis ad hæc vſque tempora propagata eſt, repugnare. Hanc enim Apoſtolicam eſſe, quæ ab Apoſtolis ad extrema vſque mundi tempora propagatur, ſacræ literæ docent.

Abſurdè Volkelius defendit miſſionem Miniſtrorum neceſſariam non eſſe. CAP: X.

OSTendimus quis modus miſſionis in ſcriptura præſcriptus ſit, quæq; ſit immediata, & mediata miſſio: reliquum eſt, vt oſtendamus alterutram miſſionem neceſſariam eſſe, vt quis Miniſtri officio fungi poſſit; id enim negat Volkelius f. 33. cùm ait, neq; Miniſtros in Eccleſia conſtitui omninò neceſſarium eſſe, neque eos qui conſtituuntur, miſſione ſingulari egere. *Ad neceſſitatem enim huius rei demonſtrandam, non ſatis eſt,* inquit, *oſtendere, fuiſſe olim Miniſtros Eccleſiæ præpoſitos, ſed etiam hac adiuncta cautione, id factum eſſe demonſtrandum, ne vlli præter eos diuinum verbum prædicare, ſimiliaquè munera obire liceat; ſatis quippe eſt, ſi quis cum pietate viuat, & ad alios erudiendos accommodatus ſit, vt huic muneri præponatur: non quidem ita, vt ſingularem quandam huius muneris exequendi poteſtatem accipiat, ſed vt Eccleſia approbante, hanc perſonam ſuſtineat.* Ita homines iſti audaciſſimi nihil in religione non audent. Ecquis enim ferat, officium Paſtorum & Miniſtrorum in Eccleſia neceſſarium non eſſe? cùm Paulus diſertè affirmet Chriſtum in Eccleſia conſtituiſſe Paſtores, & Doctores ad conſummationem ſanctorum, ad ædificationẽ corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfectum. Annè quæ Chriſtus in Eccleſia conſtituit ad finẽ vſque mundi duratura, libera ſunt, non neceſſaria? an Chriſti voluntas & inſtitutio non eſt ſufficiens huius neceſſitatis cauſa, præſertim tam graui præcepto Paſtoribus impoſito, vt gregi ſibi concredito ita attenderent, vti decet eos, quos Spiritus ſanctus poſuit regere Eccleſiam: & eam Eccleſiam; quæ tanto pretio acquiſita eſt, ſanguine filij Dei. Illa verò, quam ibidem Apoſtolus expreſſit, ratio: *vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ*; nonnè tanta

Digitized by Google

videri debet, vt planè neceſſarium ſit Paſtores & Doctores in Eccleſia eſſe, ſicut neceſſarium eſt Eccleſiam ita gubernari, vt fideles non fluctuent, & circumferantur omni vento doctrinæ; quod fit Paſtorum miniſterio.

Cùm verò aſſerit Volkelius, non ita id eſſe neceſſarium, vt præter Miniſtros Eccleſiæ nemini diuinum verbum prædicare liceat; quid ſtultius dici potuit? quaſi verò quę diuina inſtitutione ad officium Miniſtrorum ſpectant, ea quiſpiam alius vſurpare ſibi pro arbitratu poſſit. Paulus ſanè tam diſertè id pronunciat, vt mirum ſit homines iſtos in tanta luce cæcutire: *Quomodo,* inquit, *prædicabunt, niſi mittantur?* Modũ non inuenit Paulus, quo quis prædicare ſine miſſione poſſit: Volkelius cum Arrianis inuenit: quis credat? Nam quod vniuerſè de omni prædicatione id affirmat Paulus; non autem ſolùm de prima illa prædicatione Apoſtolorum, iam ſatis in cap: 2. docuimus; cùm & ratio Pauli ſit generalis, & par ſit neceſſitas miſſionis ad primam prædicationem, vti ad alias omnes: vt enim ad primam prædicationem miſſionis diuinæ teſtimonio opus eſt, vt non dubium ſit vera eſſe quæ dicuntur: ita & in conſequentibus prædicationibus eodem miſsionis teſtimonio opus eſt, vt conſtet non alia prædicari, nec alio ſenſu, quàm vt ab Apoſtolis, & primis illis prædicatoribus prædicata ſunt. Huc ſpectant aliæ ſcripturæ, quas in primis trib⁹ capitibus proſecuti ſumus, quæ id vnum omninò demonſtrant, non licere ſine vlla miſsione munus Miniſtrorum in Eccleſia obire, cùm id ſolis Miniſtris Chriſtus aſsignârit.

Ridicula verò ſunt illa, quæ Volkelius ex ſententia ſuorum Arrianorum commemorat de Miniſtrorum abſque miſsione, creatione, per ſolam auditorum approbationem, vel conductionem; eſt enim ea prophana, non ſacra Miniſtrorum conſtitutio: illi perſimilis, quâ in foro operarij pro pretio ad labores conducuntur: ſi id ita eſſet; tot eſſent Miniſtri, quot auditores. ſiquidem liberum eſt cuique auditorum, quem volet Miniſtrum eligere, aut conducere, & ad libitum reiicere. Ex qua etiam licentia conſequetur, vt nec ordo, nec debita ſubiectio, reuerentia, obedientia erga Miniſtros & Paſtores, ſecundùm Chriſti præceptum, conſeruari poſsit. Adhæc, cùm Miniſtri Dei poteſtate ſint Miniſtri, vt oſtenſum eſt; quis credat quemlibet pro ſuo arbitratu creare Miniſtrum poſſe, aut illi diuinam poteſtatem impertiri? Sanè vti à *Miniſtri approbatione populi non creantur.*

Deo

Tertia Ratio. repellantur. Sic veteres illos primæ Eccleſiæ Paſtores factitaſſe, vel vnicus Tertullianus in lib: de præſcriptionibus Hæreticorum teſtis eſſe poteſt. Ita enim iſtos non miſſos aggrediebantur: *Qui eſtis? quando & vnde veniſtis? quid in meo agitis non mei? quo denique Marcion iure ſyluam meam cædis? qua licentia Valentinus fontes meos tranſuertis? qua poteſtate Apelles, limites meos commoues? mea eſt poſſeſſio, quid hic cæteri ad voluntatem veſtram ſeminatis, & paſcitis? mea eſt poſſeſſio, olim poßideo, prior poßideo, habeo origines firmas ab ipſis authoribus, quorum fuit res. Ego ſum hæres Apoſtolorum, ſicut cauerunt teſtamento ſuo, ſicut fidei commiſerunt, ſicut adiurauerunt: ita teneo. Vos certè exhæreditauerunt & abdicauerunt, vt extraneos & inimicos.* Hæc Tertullianus, & alia multa, quibus doctrinam iſtorum nouorum Arrianorum planè euertit.

4. Periculum errorum. Accedit, quòd Miniſtris non miſſis nemo tutè fidem adhibere poſſit, neque in animum inducere illos docendo non errare, & eo, quẽ Spiritus ſanctus in ſcripturis intendit, ſenſu ſcripturas explicare; quippe quorum authoritas nullis documentis comprobetur. Quocirca & Chriſtus cùm mitteret Apoſtolos prædicandi cauſa in mundum vniuerſum, priùs ſuam miſſionem à Patre quaſi literis quibuſdam patentibus oſtendit illis verbis: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* vt ex eo intelligerent Apoſtoli, ipſum qui legitimè miſſus fuerit à Deo, legitimam quoque mittendi alios poteſtatem habere.

5. Obedientia ponderibus deſtituta. Obedientiam verò, quam diuino mandato præſtare tenentur ſuis Paſtoribus fideles, qua tandem ratione non miſſis præſtare tenebuntur? Cùm enim quis ab altero obedientiam exigit, prima de iure quæſtio eſt; quod illi qui miſſi non ſunt, nullum probare poſſunt. Quod ſi, vt Arriani volunt, auditorum arbitrio Paſtores conſtituuntur, eorundem arbitrio etiam tollentur; quocirca & Paſtores arbitrarii erunt, & obedientia arbitraria. Quẽ enim quis nutu ſuo priuare omni in ſe poteſtate poteſt, eidem quoq; niſi pro arbitratu ſuo obedire, ſi volet, tenebitur.

6. Licentia immenſa. Denique ſi miſſio non requiritur, ſed arbitrio cuiuſque miniſter conſtituatur: nulla ratio afferri poteſt, quominus & mulier, & Dæmon fungi miniſterio poſſint: cùm ad miniſterium nulla alia poteſtas ſit neceſſaria, niſi ea qua quis verbum Dei prædicare, & explicare aliis valeat. Quæ omnes rationes cùm ante iam probatæ ſint, alia confirmatione non indigent: illud ſanè efficiunt, vt quilibet Miniſter teneatur ſuæ miſſionis rationem reddere, cùm abſq; miſſione Miniſter eſſe nõ poſſit.

Quare

Digitized by Google

Quare quùm Volkelius Miniſtros Arrianos, neq; miſſos eſſe, nec pro miſſis ſe gerere; nec vt ſe pro talibus gerant opus eſſe, affirmat; eo ipſo omnem Miniſtrorum rationem euertit, & miniſtros ſine ea, quæ ipſos conſtituit, poteſtate, miniſtros facit; quod tantundem eſt, ac Regem aliquem, aut iudicem, vel conſulem, ſine Regis, iudicis, conſulis, poteſtate conſtituere, hiſtrionicè potius, vt in ſcænis & comœdiis fit, quàm aliqua vera ratione. Neque verò eſt neceſſe ad refellendum Anonymi argumentum, quod Volkelius defendendum ſuſcepit, aliud quid adferre: ex iis enim quæ hactenus de neceſſitate miſſionis docuimus, & argumentũ Anonymi per ſe concedit, & Volkelii præſidia ruunt, & quàm firmis, ac ſolidis rationibus, Anonymus in appẽdice Nodi Gordii refutatus ſit, liquido apparet. Reſtat igitur, vt ad examen decem demonſtrationum, quibus Miniſtri Euangelici non eſſe legitimi Miniſtri Nodo Gordio demonſtrantur, veniamus.

Examen primæ demonſtrationis, qua probatur Miniſtros Euangelicos, ob defectum vocationis & miſſionis, non eſſe legitimos Miniſtros. CAP: IX.

QVIcunq; non eſt legitimè vocatus & miſſus, non poteſt eſſe legitimus Miniſter, Miniſtri Euangelici non ſunt legitimè vocati & miſſi, non ſunt igitur legitimi Miniſtri. Hic primum Volkelius formam argumenti, quòd ſit ex puris negatiuis, condemnat. Præclarum ſanè Logicum, qui Syllogiſmum ex medio termino negatiuo, cùm eo qui eſt ex puris negatiuis, cõfundit: didiciſſet ſaltem à noſtris Logicis Caliſſienſibus, quantum inter hos Syllogiſmos interſit. Nam ſi medius terminus ſit negatiuus, minor propoſitio quantumuis negatiuè enuncietur, ex vi tamen formæ in affirmatiuam reſoluitur; cùm ea negatio, medii termini ſit, non propoſitionis propria; debetq; ex vi formæ poſtponi copulæ, & ex conſequenti conſtituet propoſitionem affirmatiuam. Pudeat hæc ignorare Volkelium, & imperitè ea in aliis reprehendere, quæ ipſe nondum didicit. Nam conſimili ratione reprehendendus eſſet Ariſtoteles, qui plurimas eiuſmodi demonſtrationes habet; vt cùm demonſtrat Planetas non ſcintillare, quia non admodum diſtant, & è conuerſo. Neq; afferri poteſt inſtantia, in qua talis argumentandi forma non concludat; ſed hoc erratum, cùm Logicum ſit, ad Scholas amandetur.

Volkelius malus Logicus.

Digitized by Google

Quod ad rem ipſam attinet, Volkelius ait non poſſe, niſi per ſummam iniuriam negari, Miniſtros Euangelicos eſſe legitimè miſſos, modo in ſcripturis præſcripto: quamuis externa Miniſtrorum vocatio, & miſſio, nequaquam Miniſterii eſſentia contineatur.

Hîc Volkelius in primis malè cauſam Euangelicorum tuetur. Nam ii cum Luthero & Caluino miſſionem, & vocationem externam, ſiue extraordinariam, & immediatam, ſiue ordinariam & mediatam, ita ad eſſentiam Miniſterii requirunt, vt ſine ea miniſterii eſſentiam conſtare minimè poſſe perſuaſum habeant. Proferam ea de re tam Lutheri quàm Caluini teſtimonium: hos enim duces cæteri Euangelici ſequuntur. Lutherus igitur in caput primum ad Galatas diſertè docet, *vocationem ad miniſterium Eccleſiaſticum eſſe duplicem, alteram mediatam, alteram verò immediatam.* Qua autem vocatione hodie ad Eccleſiaſticum miniſterium vocentur, docet in hunc modum: *Deus,* inquit, *vocat nos hodie omnes ad miniſterium verbi, vocatione mediata, hoc eſt vocatione quæ fit per medium, id eſt per hominem. Apoſtoli verò immediatè vocati ſunt ab ipſo Chriſto, ſicut Prophetæ in veteri Teſtamento ab ipſo Deo. Apoſtoli poſtea vocauerunt ſuos diſcipulos, vt Paulus Timotheum, Titum, & qui deinde Epiſcopos, Epiſcopi verò ſuos ſucceſſores vocauerunt. Ea vocatio durauit, vſq; ad noſtra tempora, & durabit vſq; ad finem mundi, eſtq; mediata, quia per medium fit, id eſt per hominem, & tamen diuina eſt.* Hæc Lutherus. Porrò hanc rationem ita neceſſariam eſſe, vt ſine illa Miniſter legitimus eſſe non poſſit, docet expreſſè idem Lutherus Tomo 5. in Epiſtola de clanculariis concionatoribus, cum quibus ita agendum docet. *Vnde venis? Quis te miſit? Quis tibi mandauit vt mihi concionareris? Vbi habes teſtimonia, quòd ab homine vocatus, & miſſus ſis, vbi ſunt ſigna & prodigia, ſi Deus miſit? Quocirca aut proba tuam vocationem, aut ab Euangelizando deſiſte, quia eſt officium: officium autem nemo gerere poteſt ſine mandato, aut vocatione.* & Tomo 2. in Epiſtola ad Melanthonem, ait: *Deum neminem vnquā miſiſſe, niſi vel per hominem vocatum, vel per ſigna declaratum, ne ipſum quidem filiū: neque enim,* (vt ipſe ait in capite 5. Matthæi Tomo 7.) *omnibus erronibus fides habenda eſt, Spiritum ſanctum ſe habere iactantibus, & ſeſe in omnes ædes ingerentibus: producat teſtes ſe notum eſſe, aut ſignis, & literis teſtatum faciat, docendi officium ſibi commiſſum eſſe.*

Lutheri doctrina de vocationis Miniſtrorum neceſſitate.

Eadem docet Caluinus 4. inſtit: cap: 3. 11. 10. in hunc modum. *Iam verò cùm ordine omnia & decenter in ſacro cœtu gerenda ſint: nihil eſt, in quo id ſeruari diligentius oporteat, quàm in conſtituenda gubernatione: quia nuſquā maius peri-*

Doctrina Caluini de Miniſtrorum vocationis neceſſitate

ius periculum eſt, ſi quid inordinatè geritur. Itaq; ne homines inquieti & turbulenti (quod alias futurum erat) temere ſe ad docendum vel regendum ingererent; nominatim cautum eſt, ne quis ſine vocatione publicum in Eccleſia munus ſibi ſumat Ergo vt quis cenſeatur verus Eccleſiæ Miniſter, primò ritè vocatus ſit oportet. Hoc apud Paulum animaduertere ſæpius licet, qui vbi ſuum Apoſtolatum vult approbare, cum ſua in munere obeundo fidelitate: vocationem ferè ſemper allegat. Si tantus Chriſti Miniſter authoritatem ſibi arrogare non audet, vt in Eccleſia audiatur, niſi quia & Domini mandato in hoc eſt conſtitutus, & fideliter peragit quod ſibi commiſſum eſt: quanta impudentia erit, ſi quiſquam mortalium, vtroq; vel altero iſtorum deſtitutus, eiuſmodi honorem ſibi poſtulet.

Idem Caluinus ibidem nu: 16 docet, impoſitione manuum Miniſtros ordinandos eſſe. Sic enim ait: *Conſtat Apoſtolos non alia ceremonia vſos eſſe, quum aliquem miniſterio admouebant, quàm manuum impoſitione. Hunc autem ritum fluxiſſe arbitror, ab Hebræorum more, qui quod benedictum, ac conſecratum volebant, manuum impoſitione Deo quaſi repræſentabant. Sic Iacob benedicturus Ephraim & Manaſſe, eorum capitibus manum impoſuit, quod ſequutus eſt Dominus noſter, cùm ſuper infantes precationem faceret. Eodem (vt arbritror) ſignificatu Iudæi, ex legis præſcripto, ſuis ſacrificiis manus imponebant. Quare Apoſtoli per manum impoſitionem eum ſe Deo offerre ſignificabant, quem initiabant in miniſterium. Quanquam vſi ſunt etiam ſuper eos, quibus viſibiles Spiritus gratias conferebant. Vtcunq; ſit, fuit hic ſolennis ritus, quoties ad miniſterium Eccleſiaſticum aliquem vocabant Sic Paſtores & Doctores, ſic Diaconos conſecrabant. Licet autē nullū extet certum præceptū de manuū impoſitione: quia tamē fuiſſe in perpetuo vſu Apoſtolis videmus; illa tam accurata eorū obſeruatio, præcepti vice nobis eſſe debet Et certè vtilior eſt eiuſmodi ſymbolo, cùm miniſterij dignitatem populo commendari, tum eum qui ordinatur admonere, ipſum iam non eſſe ſui iuris, ſed Deo, & Eccleſiæ in ſeruitutem addictum. Præterea non erit inane ſignum, ſi in germanam ſuam originem reſtitutum fuerit. Nam ſi nihil fruſtra Spiritus Dei in Eccleſia inſtituit, hanc ceremoniam, cùm ab eo profecta ſit, ſentiemus non eſſe inutilem.* *Impoſitionis manuū ritus ſecundùm Caluinum.*

Addit deniq; quod Volkelii cauſam planè conficit. Hoc inquit, *poſtremo habendum eſt, non vniuerſam multitudinem manus impoſuiſſe ſuis miniſtris, ſed ſolos Paſtores. Quanquam incertum eſt, an plures ſemper manus impoſuerint nec ne? Illud quidem in Diaconis Paulo & Barnaba, & paucis quibuſdam aliijs factum fuiſſe conſtat. Sed Paulus ipſe alibi ſe, non alios complures Timotheo manus impoſuiſſe commemorat. Admoneo te inquit, vt gratiam ſuſcites quæ in te eſt per impoſitionem manuum mearum.* Hæc Caluinus: quæ idcirco copioſiùs com-

memorare

Digitized by Google

memorare volui: vt Volkelius intelligeret, ſe nihil commune cum aliis Euangelicis, quo ad vocationem, & miſſionem Miniſtrorum, habere, inepteq; cauſam illorum ea ratione tueri, qua illi ſe vocatos, & miſſos eſſe nullo modo haberi volunt. Nam Volkelius nullam diuinam vocationem, & ordinationem, ac conſecrationem externam Miniſtrorum requirit. Lutherus contra, & Caluinus, vtrunque ad Miniſterii vocationem ita requirunt, vt ſine iis miniſterii eſſentiam conſtare non putent: quod etiam tum ſcripturis, tum bonis rationibus confirmant.

1. *Cur miſſionem requirat Lutherus & Caluinus.* Primùm, quòd Deus ne Filium quidem ſine teſtimonio miſſionis venire in mundum voluit, ita vt miraculis ſuam miſſionem comprobare debuerit. Paulus verò toties vocationem ſuam commemorat, à Deo non per hominem fuiſſe, vt ſuæ prædicationi fidem & authoritatem teſtimonio ſuæ miſſionis conciliaret.

2. Secundò, quòd alioqui omnibus erronibus Spiritum ſanctum habere ſe iactantibus, fides adhibenda eſſet; ii ſiquidem omnes ex ſcripturis ſe vera docere prædicant.

3. Tertiò, quia officium nemo gerere poteſt ſine mandato, aut vocatione.

4. Quartò, omnia inordinatè fierent in Eccleſia, ſi Miniſtri, eo ſolo quòd à plebe eliguntur & conducuntur, crearentur.

Vrgetur Volkelius Verùm Volkelius non ſolum Euangelicorum cauſam malè tuetur, & contra ipſorum mentem: ſed etiam ſecum ipſe pugnat. Etenim cùm ait miniſtros Euangelicos eſſe legitimè miſſos, modo in ſcripturis præſcripto: peto de ſuiſné Miniſtris Arrianis id intelligi velit, an de Lutheranis & Caluinianis? De ſuis ſi intelligi velit: ſecum ipſe pugnabit: cùm toto hoc libro nihil aliud crepet, quàm ſuos Miniſtros ad miniſterij mun⁹ nulla miſſione egere; & fortaſſis nō immeritò: ita enim

Miniſtri Arriani conducuntur ad labores non creantur. Miniſtri apud Arrianos admittuntur ad miniſterium, ſicut mercenarii ad labores dato precio; ita vt creare Miniſtrum Arrianis ſit conducere illum ſtipendio ad concionandum. Non enim vllam illis ſpiritualem poteſtatem conferunt, aut vt conferatur à Deo, neceſſarium putant; ſed illorum operis ad concionandum ita prorſus vtuntur, ſicut vtimur aptis mercenariis ad labores domeſticos precio oblato conductis. Quod ſi de Lutheranorum & Caluiniſtarum Miniſtris id intelligi vult: iterum ſecum pugnabit Volkelius. Nam ſi modus quo miniſtri Lutherani &

Digitized by Google

rani, & Caluiniani mittuntur, eſt in ſcriptura præſcriptus: falſum erit quod toties aſſeruit Volkelius, nullo ſcripturæ teſtimonio miſſionem Miniſtris neceſſariam eſſe oſtendi poſſe, errareque grauiſſimè Arrianos; cùm modum miſſionis in ſcripturis præſcriptum in ſuis Miniſtris non obſeruant. Si verò talis modus non ſit in ſcripturis præſcriptus, falſum erit quod aſſerit, Miniſtros Euangelicos modo in ſcripturis præſcripto eſſe legitimè miſſos.

Miſſio duplex: mediata, & immediata.

Atque vt tota res apertiùs pateat, exponendum primo eſt: quis vocationis & miſſionis modus ſit in ſcripturis præſcriptus, tum an is modus ſit neceſſariò adhibendus; demum an Miniſtris Euangelicis competat. Et quidem extra omnem controuerſiam eſt, duplicem miſſionem in ſacris literis nobis præſcriptam eſſe: immediatam alteram, alteram mediatam. Illa fit ab ipſo Deo immediatè: hæc à Deo, ſed per homines à Deo miſſos, quique ad mittendum alios à Deo poteſtatem acceperunt. Deus in lege veteri immediatè miſit Prophetas, in lege noua Chriſtum. Chriſtus etiam miſit immediatè Apoſtolos: Mediatè verò Apoſtoli poteſtate à Chriſto accepta, miſerunt Epiſcopos à ſe ordinatos & conſecratos, Timotheum, Titum, Ignatium, tum deinde ordinârunt, & miſerunt alios tum Epiſcópos, tum Presbyteros, cum eadem quam ipſi habuerunt, poteſtate, ad eadem munia obeunda, tam in prædicatione, quàm in miniſterio Sacramentorum. Tanti verò fecit Deus, & fieri ab omnibus in Eccleſia voluit, hanc mediatam & ordinariam poteſtatem mittendi, vt eos, quos ipſe per ſeipſum vocabat, ad Eccleſiam & eius ordinarios Paſtores remitteret, eorumq; poteſtati ipſos ſubjiceret. Sic ad Cornelium Angelum è cœlo mittit, vt Petrum accerſeret, ab eoque non ab Angelo viam ſalutis addiſceret, Actor: 10. Sic Paulum, quem Chriſtus ipſe mirabili illa ratione vocauerat, inſtruendum, & erudiendum, ad Ananiam remittit. Acto: 9. 7.

Miſſio mediata quãti facienda.

Cur hominum miniſterio vtatur Deus.

Tametſi enim per ſeipſum ſine alio quouis adminiculo, vel etiam per Angelos, regere ſuam Eccleſiam poſſet: complures ſunt tamen cauſæ, cur per homines malit. Hoc enim modo primum dignationem erga nos ſuam declarat, cùm ex hominibus ſumit, quibus partes ſuas committat: & facit eos voluntatis ſuæ interpretes, & ex ore ipſorum veluti ex Sanctuario reſponſa hominibus reddit: deniq; in ipſis perſonam ſuam repræſentari vult, dicendo: *Qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit.* Luc: 10. 16. Deinde id optimum, ac vtiliſſimum ad hu- 1. 2.

Digitized by Google

militatem exercitium eſt, dum nos per homines ſimiles nobis, inter-
dum etiam dignitate inferiores, gubernat. Si enim Deus de cælo no-
bis loqueretur, mirum non eſſet, ſi eius voluntati nos illico obſequen-
tes exhiberemus: at cùm per homines nobis loquitur, & imperat, ma-
gnam hominibus virtutis & meriti occaſionem dat: vt ei omnem re-
uerentiam, & obedientiam in hominibus præbeamus, atq; ita experi-
5. mento pateat, quanti ipſe à nobis fiat. Ad hæc, ad fouendam mutuam
charitatem, & vnitatem retinendam, hoc veluti vinculo ſuos fideles
colligare voluit. Dum enim vnus conſtituitur Paſtor, de cuius ore &
manibus omnia cæleſtia dona communicantur; fit, vt nec oues Paſto-
rem contemnant, cuius ope indigent: nec Paſtor oues deſpiciat, pro
quarum ſalute inuigilare tenetur, tanquam rationem redditurus. De-
niq; & diſſenſionum omnes cauſæ præciduntur, cùm vni, Dei nomi-
4. ne ab omnibus obtemperatur. Id verò Paulus expreſſiſſe videtur ad
Ephe: 4. cùm ait, Chriſtum aſcendiſſe in cælum, vt impleret omnia:
modum verò, & rationem implendi donis ſuis Eccleſiam, hanc ſub-
iungit, *& ipſe dedit alios quidem Apoſtolos, alios Prophetas, alios autem Euangeli-
ſtas, alios Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii:*
ſcilicet per Miniſtros ſuos, & eorum miniſteria, dona ſua diuina ho-
minibus impartit; conſummat & perficit Sanctos, ædificat corpus ſu-
um ex fidelibus, veluti ex membris, donec occurramus omnes in vni-
tatem fidei, & impleatur numerus fidelium ab ipſo, ab æterno præde-
finitus. Cùm igitur tantam voluerit eſſe poteſtatem Miniſtrorum Ec-
cleſiæ, vt per eos omnia ſua dona diſpenſet, eoſque veluti artifex in-
ſtrumenta ad omnia ſua opera adhibeat: dubitandum non eſt, pote-
ſtatem quoque mittendi, ſeu Paſtores, & legitimos Miniſtros creandi,
iiſdem reliquiſſe, cùm ea ſit magna illius regiminis pars, de quo
Paulus ait, Actor: 20. à ſancto Spiritu poſitos eſſe Epiſcopos regere
Eccleſiam Dei.

Miſſio mediata, debet eſſe ab hominibus diuinitus miſſis.

Ex quo apparet, quàm imperitè dixerit hoc loco Volkelius ad
mediatam miſſionem non requiri, vt Miniſtri mittantur, & creentur
ab iis, qui diuinitus miſſi ſunt: id enim ait præter omnem ſcripturæ
authoritatem aſſeri. Quaſi verò illa, quæ in ſcripturis habemus, miſſio-
nis mediatæ exempla, non ſint ab hominibus diuinitus miſſis, ſcilicet
1. Apoſtolis, & aliis Epiſcopis ab his ordinatis. Deinde, an non iis ſolis
2. poteſtas mittendi conuenit, quos ſanctus Spiritus poſuit regere Eccle-
ſiam

ſuum Dei? Eam enim poteſtatem in poteſtate regendi Eccleſiam conti-
neri per ſe perſpicuū eſt. Qui igitur poteſtatem mittendi habet, à Spiri
tu S. habet, ad quem pertinet ponere Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei.
Ad hæc, ſi miſſio mediatà diuina eſt, in Deum referri procul dubio 3.
debet. Deus enim quæcunq; facit, vel ſua immediata poteſtate facit,
vel poteſtate hominibus communicata. Neceſſe igitur eſt, eos qui me-
diatè à Deo mittuntur, non per quoſcunque homines mitti, ſed eos
tantummodo, qui poteſtatem mittendi à Deo acceperunt. Alioqui
nihil valet miſſio, ſi ab eo fiat, qui poteſtatem mittendi non habuit;
quod enim ſine poteſtate legitima fit, ſemper irritum & inane cenſe-
tur. Iam verò, ſi vocatio & miſſio fiat ab hominibus diuinitus non 4.
miſſis; ea humana, non diuina habenda eſt; ciuilis & politica, non Ec-
cleſiaſtica & cœleſtis; cùm poteſtate à ſpiritu humano & politico,
non Chriſti & diuino fiat; eſtque illi perſimilis, quâ vel lectores ad
docendum pretio conducuntur pro Scholis, vel operarii ad agros co-
lendos, ſiue alios labores domi obeundos. Deniq; ſi ea ratione media-
ta miſſio definiatur, vt à quibuſlibet hominibus, etiam diuinitus non
miſſis, fieri poſſit: Primùm neceſſe eſt omnem authoritatem miſſionis
perire: ea ſiquidem ex ſola Dei mittentis authoritate pendet. Deniq;
nullus Hæreticorum eſſet, qui ſuam miſſionem eo modo probare non
poſſit. Inueniret enim ſutorem, & cerdonem quempiam, à quo mitte-
retur. Aio igitur miſſionem mediatam, cùm diuina ſit, ab hominibus
diuinitus miſſis, dependere. Quocirca qui per longam ſeriem & ſucceſ-
ſionem tam poteſtatis, quàm doctrinæ, deſcendunt ab Apoſtolis &
Apoſtolicis viris, ij & miſſionem ſuam mediatam, & alios mittendi
poteſtatem probare poſſunt; ſuam enim miſſionem in Dei poteſtatem
reducunt & reſoluunt. Alii porrò, qui hanc reſolutionem facere non
poſſunt, nequaquam ex eo numero ſunt, qui miſſi mediatè à Deo dici
poſſint.

Miſſio immediata miraculis probanda.

Ex quo etiam manifeſtum eſt, alia ratione miſſionem mediatam
quàm immediatam probandam eſſe. Nam immediata miſſio nun-
quam fit ſine teſtimonio miraculorum, vt exemplis ſcripturæ facilè
demonſtratur. Quomodo enim ſine miraculis certa fides adhiberi po-
teſt dicenti ſe eſſe à Deo miſſum; hac enim ratione omnes Hæretici,
& falſi Doctores, ſe eſſe miſſos mentiuntur: & qui illis fidem adhibent,
in errorem inducuntur. Mediata verò, non miraculis, ſed ſucceſſione,
& deri-

Mediata miſſio probāda ſucceſsione.

& deriuatione ab iis, qui diuinitus miſſi ſunt, demonſtranda eſt. Neq; enim nouis miraculis opus eſt, ſi ad eos quis ſe referat, quorum miſsio miraculis claruit, & diuino teſtimonio comprobata eſt. Non ſatis autem eſt ſe ad eos referre nudo verbo, vt ſi quis dicat ſe ea docere & facere, quæ illos docuiſſe, & feciſſe ex ſcriptis illorum ipſe coniiciat; hoc enim modo ſe referunt omnes Hæretici ad Apoſtolos: neq; tamen reuera hæredes Apoſtolorum ſunt, ſiue in fide, ſiue in poteſtate. Nam vera fides Apoſtolica, etſi in ſcripturis eorum continetur; tamen ſi quis ſcripturas eorum non eo ſenſu, quo ab illis conſcriptæ ſunt, intelligat aut interpretetur: non fidem, ſed hæreſes ex illis percipiet; vti omnes Hæreticos facere videmus, qui vti omnes ſcriptis Apoſtolicis gloriantur: ita nullus eorum ſenſum, & ſpiritum Apoſtolorum aſſequitur; ſcripturæ enim ſine ſuo proprio ſenſu, non ſunt ſcripturæ, niſi materialiter, vt dici ſolet. Neceſſe eſt ergo ſcripturas Apoſtolicas vnà cum ſenſu, & interpretatione earum ex traditione & ſucceſſione perpetua accipere: ita, vt quo ſenſu ſcripturas & fidem docuerunt Apoſtoli primos illos fideles, à quibus continua ſucceſſione fides ad nos vſque propagata eſt; eundem ſenſum verum eſſe, & minimè dubium oporteat.

1. Fidei.

2. Poteſtatis.

Neque ſolùm fides, ſed & poteſtas illius, quam Chriſtus Eccleſiæ ſuæ reliquit Communicatio, abſque ſucceſſione fieri non poteſt. Qua enim ratione poteſtas ab Apoſtolis deriuata eſt per ordinationem, & de manu quodam modo in manum tradita; eadem ratione prorſus ab illis in alios, & ab his in alios ad nos vſque deriuari debet. Neque enim ſola ſcriptura cuiquam poteſtatem tradit, aut ordinat aliquem, vel Miniſtrum ac Paſtorem creat: ſed homines, dum ſuam poteſtatem quam diuinitus acceperunt, diuina quoq; inſtitutione aliis impartiunt. Quod ſi ſucceſſio deficiat, aut interrumpatur: poteſtatem quoque deficere, & interrumpi neceſſe eſt; vel ab alio aliquo diuinitus, & præter ordinem à Deo excitato, reparari; cui malo egregiè Chriſtus prouidit, promittens Eccleſiæ ſuæ perpetuam, & nunquam interrũpendam ſucceſſionem, fidem indeficientem, eamque ſoliditatem, vt portæ inferi aduerſus eam non ſint præualituræ. Quod ſine perpetua ſucceſſione Paſtorum Eccleſiæ ne intelligi quidem poteſt. Deficientibus enim legitimis Paſtoribus, Eccleſiam deficere neceſſe eſſet. Adiecit & ſuam perpetuam protectionem, & vt ita dicam, aſſiſtentiam: *Ego vobiſcum ſum*

Succeſſio perpetua promiſſa Eccleſiæ.

omni-

omnibus diebus vſque ad conſumationem ſaculi. Nulli igitur dies vſq; ad conſumationem ſæculi eſſe poterunt, quibus ſuam Eccleſiam deſerat Chriſtus, & permittat deficere. Promiſit etiam ſpiritum veritatis, qui maneat in Eccleſia in æternum. Ita vt verendum Eccleſiæ non ſit: vt aliquo vel breui tempore illi non adſit, nec maneat apud illam.

Ridiculus verò eſt Volkelius, cùm ait Apoſtolicam doctrinam, quatenus ſacris literis conſignata eſt, nunquam defecturam, non verò quatenus ad homines ſpectat; quos, inquit, experientia certum eſt ad idololatriam, & varios errores deficere. Quaſi verò promiſſa Chriſti eò ſpectent, vt ſcripturas nunquam defecturas: Eccleſiam verò, quæ hominibus vt membris conſtat, defecturam exiſtimemus. Annè doctrina Chriſti & Apoſtolorum non deficit, quando in hominibus deficit? Sit enim ſcriptura in medio poſita, & nullus eam intelligat, aut credat: nonnè tunc doctrinam & fidem Apoſtolicam deficere exiſtimandum erit? Fides enim non ſcripta, ſed cordibus hominum impreſſa deficere non debuit, ſecundùm Chriſti promiſſa. Cùm verò Volkelius ait, experientia patere defectionem à fide, & Apoſtolica doctrina. Si id de Arrianorum, aut aliquo ſimili cœtu particulari intelligat, verum dicit. ſi verò de totius Eccleſiæ defectione, turpiter errat, & ſcripturis contradicit; non deficit enim, nec deficiet vnquam Romanæ Eccleſiæ fides, qua in Petro fundata perpetuæ fidei, & poteſtatis ſucceſſione gloriatur, quam & ſi talpæ iſti, & veſpertiliones aduertere nolint: videt tamen & agnoſcit orbis Chriſtianus vniuerſus. Euoluantur ſcripta ſanctorum Patrum, legantur omnium ætatum Doctores, Concilia tam generalia quàm prouincialia, totis his mille ſexcẽtis annis habita, Annales omniũ Eccleſiarũ: tum re ipſa apparebit, Romanæ Eccleſiæ fidẽ ex Apoſtolicis fontibus hauſtam, omnibus ſæculis ad noſtra tempora perdurâſſe. Ergo ſi Chriſto ſpondente, fides & Eccleſia ab ipſo fundata, non erat vnquam peritura: alterum è duobus conſequens eſt, aut fidem Romanæ Eccleſię eſſe Apoſtolicam fidem, quòd eadem ſemper ab Apoſtolorum temporibus perdurauit, aut nullam veram fidem Chriſtianam, & Apoſtolicam eſſe in mundo, cum nulla alia fides eam abſque interruptione ſucceſſionem, ab Apoſtolorum temporibus demonſtrare poſſit, quam notam veræ & Apoſtolicæ fidei Chriſtus eſſe voluit. Fruſtra verò fucum Volkelius facit, cùm ait ſe ſuoſq; antiquitati Romanæ Eccleſiæ repugnare: illi verò Apoſtolicæ antiquitati non repu-

Ridicule reſpondet Volkelius.

Refellitur.

videri debet, vt planè neceſſarium ſit Paſtores & Doctores in Eccleſia eſſe, ſicut neceſſarium eſt Eccleſiam ita gubernari, vt fideles non fluctuent, & circumferantur omni vento doctrinæ; quod fit Paſtorum miniſterio.

Cùm verò aſſerit Volkelius, non ita id eſſe neceſſarium, vt præter Miniſtros Eccleſiæ nemini diuinum verbum prædicare liceat; quid ſtultius dici potuit? quaſi verò quę diuina inſtitutione ad officium Miniſtrorum ſpectant, ea quiſpiam alius vſurpare ſibi pro arbitratu poſſit. Paulus ſanè tam diſertè id pronunciat, vt mirum ſit homines iſtos in tanta luce cæcutire: *Quomodo,* inquit, *prædicabunt, niſi mittantur?* Modũ non inuenit Paulus, quo quis prædicare ſine miſſione poſſit: Volkelius cum Arrianis inuenit: quis credat? Nam quod vniuersè de omni prædicatione id affirmat Paulus; non autem ſolùm de prima illa prædicatione Apoſtolorum, iam ſatis in cap: 2. docuimus; cùm & ratio Pauli ſit generalis, & par ſit neceſſitas miſſionis ad primam prædicationem, vti ad alias omnes: vt enim ad primam prædicationem miſſionis diuinæ teſtimonio opus eſt, vt non dubium ſit vera eſſe quæ dicuntur: ita & in conſequentibus prædicationibus eodem miſsionis teſtimonio opus eſt, vt conſtet non alia prædicari, nec alio ſenſu, quàm vt ab Apoſtolis, & primis illis prædicatoribus prædicata ſunt. Huc ſpectant aliæ ſcripturæ, quas in primis trib⁹ capitibus proſecuti ſumus; quæ id vnum omninò demonſtrant, non licere ſine vlla miſsione munus Miniſtrorum in Eccleſia obire, cùm id ſolis Miniſtris Chriſtus aſsignârit.

Miniſtri approbatione populi non creantur.

Ridicula verò ſunt illa, quæ Volkelius ex ſententia ſuorum Arrianorum commemorat de Miniſtrorum abſque miſsione, creatione, per ſolam auditorum approbationem, vel conductionem; eſt enim ea prophana, non ſacra Miniſtrorum conſtitutio: illi perſimilis, quâ in foro operarij pro pretio ad labores conducuntur: ſi id ita eſſet; tot eſſent Miniſtri, quot auditores. ſiquidem liberum eſt cuique auditorum, quem volet Miniſtrum eligere, aut conducere, & ad libitum reiicere. Ex qua etiam licentia conſequetur, vt nec ordo, nec debita ſubiectio, reuerentia, obedientia erga Miniſtros & Paſtores, ſecundùm Chriſti præceptum, conſeruari poſsit. Adhæc, cùm Miniſtri Dei poteſtate ſint Miniſtri, vt oſtenſum eſt; quis credat quemlibet pro ſuo arbitratu creare Miniſtrum poſſe, aut illi diuinam poteſtatem impertiri? Sanè vti à

Deo

Digitized by Google

Deo poteſtatē ſuam accipere Miniſtros tam ad animas regendas, quàm ad alia diuinæ virtutis opera exequenda ſupra demonſtrauimus; ita fatendum eſt eos diuina vocatione & miſsione indigere, neq; fas illis eſſe ſine legitima vocatione in alienam meſſem falcem immitere.

Iam quod Mornæo à me obiectū fuerat, ex ea licētia Miniſtrorū ſine legitima vocatione & miſsione prædicandi ſequi, vt innumeri emergant reformatores, qui vt variis Hæreſibus imbuti erunt, ita varias Hæreſes inducere molientur. Id Volkelio, neque neceſſariò conſequēs, neque abſurdum eſſe videtur: poſſunt enim, inquit, iſti reformatores non Hæreſes inducere, ſed eas detegere: & quamuis varij Hæretici ex hac licentia exiſterent; tamen ea non eſſet deneganda: ne ſimul aditus ad patefaciendos depellendoſque errores præcludat. Egregium verò politicum, qui factioſis & male ſanis capitibus omnem licentiam ad perturbandam Remp. permittit, quod fieri fortaſſe poſſet, vt aliqua etiam mala in Repub. ea ratione corrigantur. Rectè monet Paulus, *non eſſe facienda mala, vt eueniant bona*: & alienum ab omni ratione eſt, ea media ad finem obtinendum deligere, ex quibus plura mala quàm bona conſequuntur. Tale medium eſt licentia, quæ quiſque volet, prædicandi: ex ea enim per ſe conſequitur omnium errorū proſeminatio. Vt enim eſt natura hominum nouitatis ſemper auida, & iudiciorum in rebus etiam manifeſtis diſsimilitudo maxima, atque ad malum potiùs, quàm ad bonum propenſio; faciliusque mille inſulſos, quàm vnū rectè ſentientem inuenies: fieri neceſſe eſt, vt ſi petulantibus hominū ingeniis frena laxentur ad quiduis in Eccleſia moliendum & docendū, innumeræ Hæreſes propagentur. Quod ſi aliquando contingeret eiuſmodi prædicatores vera docere; id ita rarum eſt, vt vix exemplo aliquo confirmari poſsit: & ita periculoſum, vt ſæpiùs falſa, quàm vera doceant: & ita incertum, vt conſtare certo non poſsit, quando vera, quando falſa prædicent. Semper enim ſuſpecta eſt authoritas ſine miſsione docentis. Ex quo apparet tale medium, tam ad detegendos errores, quàm ad manifeſtandam veritatem, eſſe ineptiſsimum; nullaq; ratione conſultum eſſe illud prætermittere, cùm ex eo plurima in Eccleſiam mala inuehi perſpicuum ſit.

Scriptura ſola controuerſias non dirimit.

Et verò non eſt ſatis ea expedita ad veritatem via, ſcripturas in medio ponere, & earum ſenſum cuiuſuis arbitrio permittere. Omnes enim Hæretici hoc modo ſuas hæreſes è ſcriptura hauſerunt, & loca

locis

locis componendo, id tandem aſſecuti ſunt, vt Hæretici eſſent: ſinguliq; eorum, & ſi pugnantes hæreſes doceant: perſuaſiſſimum tamen habent eas ſcripturarum teſtimonio niti, nunquamque faciunt finem nouis ſcripturæ interpretationibus, nouas hæreſes inueniendi, & excitandi; ſemper diſcentes, nunquam ad ſcientiam peruenientes. Id ita eſſe, vel vno experimento doceo. Ante Lutherum erat Eccleſia Chriſti labii vnius, vnum dicebant, & credebant omnes, vno ore Deum laudabant, vnam doctrinam prædicabant, quam à Paſtoribus à Deo miſſis didicerant. Venit Lutherus detonans verbum Dei ab omnibus legi, & exponi poſſe. Quod vbi perſuaſit, tot illico hæreſes emerſerunt, vt numerari planè non poſſint. Nam qua ratione licuit Luthero diſcipuli ſibi quoq; à Luthero recedere licitum eſſe putauerunt; eodemq; argumento (ſcripturam per ſcripturam interpretando) contra ipſum vſi ſunt, quo ipſe contra Eccleſiam Catholicam vtebatur; factumque eſt, vt in ſectas innumeras ſint diſſecti, & linguæ eorum iuſto Dei iudicio ita confuſæ, vt alter alterum non intelligat (vti in ædificatione turris Babel contigiſſe legimus) ſed continuis diſputationũ pugnis non minus cum Catholicis, quàm inter ſe decertent & gladiẽtur. Ex quo etiam ita indies proficiunt, vt à Lutheranis ad Caluiniſtas, ab his ad Arrianos, tandem ad Atheos ſe conferant.

A Luthero defectio.

Gen: 11.

Aio igitur ſcripturas cuiuſque arbitrio permiſſas, & à quocunque expoſitas, non ad veritatem aſſequendam, ſed ad omnes errores excitandos præſentiſſimum medium eſſe; non quòd ſcriptura vera non ſit: ſed quòd ſi pro cuiuſque arbitrio, alius illi atque alius ſenſus affingatur, omnem vim ſuam amittat, & ſcriptura eſſe deſinat; eo quòd humanis opinionibus in aliam ſpeciem transformetur. Vt enim ſine anima corpus mortuum eſt; ita ſcriptura ſine ſuo natiuo ſenſu, quem à Spiritu ſancto inditum habet, non ſcriptura, ſed humanum quoddam inuentum ac figmentum eſt. Porrò, vt ſenſum à Spiritu ſancto ſcripturis inditum cognoſcamus, non humanis diſcurſibus agendum eſt, qui ſunt falaciſſimi: neque propria interpretatione, vti cauet S. Petrus; ſed ad Apoſtolicam traditionem animus referendus. Quæ enim Apoſtoli diuino ſpiritu pleni Eccleſiam docuerunt, quæque de ore in os, de manu in manum continua ſucceſsione temporum, ex Apoſtolorum ſenſu tradita ſunt ab iis, qui ab Apoſtolis, Apoſtoliciſq; viris deſcenderunt: ea tanquam à Spiritu ſancto profecta, omni veneratione excipi opor-

Scriptura quomodo interpretanda.

Non cuiuſuis arbitrio.

Sed iuxta Apoſtolicã traditionẽ

pi oportere, omnis ratio ſuadet: maximè cùm à Chriſto cautum ſit, doctrinam ab Apoſtolis traditam nunquam in Eccleſia defecturam, & conſentiens omnium ſæculorum fides, omnium maximum ſit Apoſtolicæ fidei & doctrinæ teſtimonium. Id verò faciunt Catholici noſtri in Conciliis generalibus congregati, cùm ex perpetua traditione Apoſtolica, & conſentiente omnium præteritorum ſæculorum ſenſu, ad ipſa vſque Apoſtolorum tempora, propriam & genuinam ſancti Spiritûs in ſcripturis mentem & ſententiam aſſequuntur; id quod multò firmius ac ſolidius eſt, quàm ſi priuato cuiuſque & fallaci iudicio id permittatur.

Hæretici ius ſcripturas interpretandi nõ habent.

Quocirca meritò antiquus author Tertullianus in libro ſuo de præſcriptionibus Hæreticorum docuit, Hæreticos ad interpretandas ſcripturas nullum ius habere; cùm ſenſus ſcripturarum ex traditione Apoſtolica non ſint hæredes: idcircoque ne Chriſtianos quidem eſſe, cùm ab antiqua & communi Chriſtianorum ſententia, quàm illi hæreditaria quadam ſucceſſione ab Apoſtolis obtinuerunt, diſcrepent, & ſuam quiſque hæreſim, hoc eſt electionem & ſententiam ſequatur; ſoloſque Catholicos eſſe veros Apoſtolorum hæredes, qui & ſucceſſione Apoſtolica gaudent, & vnà cum ſcripturis ſenſum quoq; ſcripturarũ, quem Apoſtoli docuerunt, & per omnia tempora conſequentia propagarunt, retinuerunt. Nam etſi Hæretici impudenter iactant ſe Apoſtolica ſcripta tenere & ſequi: tamen Apoſtolica ſcripta non Apoſtolico ſenſu (ſine quo ſcripta Apoſtolica non ſunt) interpretantur; cùm de Apoſtolico ſenſu proprio quiſque iudicio diuinet, nec aliam quàm ſui iudicij regulam admittat, & qua quiſque opinione imbutus eſt, eam Apoſtolicis ſcriptis affingit, ita vt diuerſis diuerſa opinantibus, ſcripturas in diuerſa & ſæpè contraria trahi & conformari oporteat.

Innumeræ hæreſes vnde prodeant.

Ex quibus omnibus ſatis conſtare arbitror, quod Volkelius negabat, ſi omnibus fiat poteſtas ſcripturas interpretandi & docendi quælibet, ex ea licentia ſecuturos innumeros in religione errores, & plurima Hæreſum monſtra; neque eam viam legitimam eſſe ad veritatem demonſtrandam, & errores detegendos; ſed ad omnia erroribus inuoluẽda, & veritatem è mundo tollendam: neceſſariumque planè eſſe ad veritatem ex ſcripturis aſſequendam, earum natiuum ſenſum à Spiritu ſancto impoſitum, ab iis qui ab Apoſtolis, Apoſtolicisuqe viris legitima ſucceſſione poteſtatis & doctrinæ deſcendunt, ſeu ab hominibus

mediatè

Digitized by Google

mediatè à Deo miſſis deriuare. Ni id fiat, nihil certè in religione habebitur: ſed omnia opinionibus & tenebris inuolui neceſſe erit. Vt enim quis maiori ingenio aliis præſtiterit, ita veriſimilibus opinionẽ ſuam ſcripturis affinget, eaque Spiritus ſancti ſententia reputabitur, ex quo conſequitur humanam ſolùm eſſe de ſenſu ſcripturæ fidem, non diuinam. Quod ſi Apoſtolicum ſenſum traditione continua ad nos vſque tranſmiſſum ſequamur, eoſque docentes audiamus, qui ab Apoſtolis longa ſucceſſionis ſerie deſcendunt; fieri non poterit, quin animus in fide & religione conquieſcat; cùm & ſcripta Apoſtolica, & ſenſum Apoſtolicum teneat. Et hoc eſt quod Apoſtolus monet, vt ſpiritus probemus. Non enim ſpiritu cuiusque priuato vult probari ſpiritus; hoc enim & inaniſſimum eſt, & ad omnes errores procliue: ſed ſpiritu communi Eccleſiæ ſeu hominum, qui ab Apoſtolis Apoſtolicisque viris deſcendunt. Qua etiam regula priuati quoque ſpiritus probandi ſunt, vt ille ſpiritus Dei cenſendus ſit, qui cum communi Eccleſiæ ſpiritu conſentiat.

Miniſtros Lutheranos & Caluiniſtas immediatè à Deo miſſos non eſſe. CAP: X.

NON eſt quòd Miniſtros Arrianos ea moleſtia afficiamus, vt probemus eos à Deo miſſos non eſſe; id enim vltrò ipſi concedunt, & abſque vlla miſſione, ex ſolo conſenſu eorum apud quos agunt, Miniſtros eſſe, verbumq; Dei & Sacramenta adminiſtrare poſſe affirmant. Quæ cùm ſatis iam à nobis refutata ſint, negotiũ nobis eſt cum Lutheranis, & Caluiniſtis, quos idcircò aſſerimus Miniſtros legitimos non eſſe, quòd à Deo miſſi non ſint, ſiue immediatè, ſiue mediatè. Fatentur enim alterutram miſſionem Miniſtris neceſſariam eſſe: nihil autem faciliùs eſt, quàm oſtendere illos non eſſe immediatè miſſos. Qui enim ea ratione à Deo mittuntur, miraculis teſtatam ſuam miſſionem facere debent: vti in omnibus tam in veteri, quàm in nouo Teſtamento à Deo miſſis perſpicuum eſt. Adeò vt Paulus ipſum Chriſtum, qui nec falli, nec fallere poterat, contendat non debuiſſe per ſe honorem ſibi ſumere, ſed à Patre mitti. Chriſtus etiam ipſe idem de ſe ipſo fatetur; ſi enim tot miracula non feciſſet quod fecit, peccatum Iudæos, ait, habituros non fuiſſe, quod illi non crediderint. Et verò res ipſa loquitur, eum qui ab aliquo mittitur, debere proferre eius à quo mittitur

Miſſio immediata Dei teſtimonium requirit.

mittitur teſtimonium; alioqui nulla ei fides habebitur, pertinetque & ad eum qui mittit, vt ſine ſufficienti teſtimonio non mittat, & ad eũ qui mittitur, vt teſtimonio mittentis ſuam miſſionẽ comprobet. Quod ſi in politicis id negari à nemine poteſt; multò maiori ratione id de miſſione diuina affirmandum eſt, cùm ea & maioris momenti ſit, & à maiori, id eſt diuina ſapientia procedat. Spectat enim ad Dei ſapientiam, eis quos mittit, ſuum teſtimonium non negare, quod & ſe miſſos eſſe probare poſſint, & authoritatem ſuæ miſſioni conciliare.

Porrò cæleſtia ei, quæ præter naturæ ordinem omnem à Deo fiũt teſtimonia, miracula ſunt. Neceſſe igitur eſt miſſionem miraculis cõfirmari: ſiue ea ab ipſomet qui mittitur fiant, vt in Apoſtolis videmus; ſiue à Deo, in eius qui mittitur teſtimonium; vt in Ioanne Baptiſta accidit; qui etſi ſignum fecerit nullum, tamen manus Domini erat cũ eo, eiuſque tam ortus multis miraculis claruit, quàm vita; quippe quę Angelicam puritatem & innocentiam æmularetur; vt ea propter nullum eo maiorem inter natos mulierum ſurrexiſſe, Chriſtus ipſe teſtificatus ſit. Iam verò quòd Lutherani & Caluiniſtæ nulla vnquam miracula fecerint, aut facere poſſint; ita per ſe clarum eſt, vt à nemine in dubium reuocari poſſit; ac ne ipſi quidem Euangelici ſunt ita impudentes, vt affirmare audeant: quis enim affirmantibus crederet?

Verùm quid ad hæc reſpondeant, audiamus; Miniſter enim Caluinianus vani cuiuſdam Epicherematis à nobis refutati, ait eos qui ad reformandam Eccleſiam extraordinariè mittuntur, teſtimonio miraculorum non egere; veritatem enim, quam prædicant, ſcripturis comprobare poſſunt, idque ait exemplo Prophetarum, & Ioannis Baptiſtæ ſatis patere. At hæc nimis futilia ſunt, & facilè refelluntur: nam in primis is qui ad reformandam Eccleſiam mittitur, ſuæ miſſionis teſtimonium proferre non poteſt, ſi miraculis careat. Nam vt demus doctrinam ſuam ex ſcripturis probare poſſe; non tamẽ miſſionem, quam ſe à Deo iactat habere; cùm ſcriptura de eius miſſione nihil loquatur. Neque verò quicunque doctrinam ſuam ex ſcripturis confirmauerit, illicò à Deo miſſus cenſeri debet; cùm etiam ii quos conſtat à Deo non mitti, veram doctrinam profiteri poſſint: & non eo ipſo quo quis idoneus eſt ad veram doctrinam ex ſcripturis docendam, poteſt abſque alia vocatione Paſtoris & Miniſtri officium in Eccleſia ſibi ſumere: quemadmodum nec in Repub. ſi quis ſit Magiſtratu dignus, debet illũ abſque alia vocatione vſurpare.

Miſſionẽ ſuam Miniſtri ex ſcripturis probare nõ poſſunt.

Deinde

Deinde quod ad doctrinam pertinet, quantumuis eam ex ſcripturis à ſe expoſitis confirmet, nunquam tamen certò veram eſſe probabit; id enim omnes Hæretici faciunt; non enim aliud crepant, quàm ſcripturas: cùm tamen nihil minus quàm ſcripturis cõſentientia doceant. Quantumuis enim ſcripturas per ſcripturas ſuo iudicio interpretantur: contrarium tamen ſenſum ex ſcripturis eliciunt. Aut igitur omnium iudicium verum erit, aut humanum de ſcripturis iudicium certa veritatis regula eſſe non poterit; neq; quiſquam eo ſolo nomine ſe miſſum à Deo ritè probabit, quòd ea doceat, quæ ſcripturis, ipſius iudicio, continentur. Sic enim omnes Hæretici ſe miſſos eſſe à Deo bene probarẽt; nec diſcerni facilè poſſet, cuius iudicium præſtet & ſit verius. Quocirca vnicum & ſingulare medium eſt, vt ſenſum quem ſcripturis tribuimus, eſſe quoque Spiritûs ſancti ſenſum cognoſcamus, ſi (vti ſupra docuimus) noſter ſenſus cum eorum ſenſu congruat, qui ſunt mediatè à Deo miſſi, & continua ſucceſſione ſenſûs Apoſtolici facti ſunt hæredes: ita enim ad ſenſum Apoſtolicum quàm proximè accedetur.

Neque verò Prophetarum & Ioannis Baptiſtæ exempla aduerſariis ſuffragantur; nam quod ad Prophetas attinet, nullus ex eis ſine te- *Ierem: 23.* ſtimonio miraculorum miſſus à Deo legitur. Prophetia enim ipſa, qua Spiritu ſancto in illos conſpicua ratione irruente, & in ecſtaſin rapiẽte, implebantur; & futura prædicebant, erat illis inſtar miraculi. Dum verò S. Ioannes ad ſuam miſſionem probandam teſtimonium ſcripturæ ex Iſaia adducit: *Ego vox clamantis in deſerto*; ea ſcriptura eiuſmodi eſt, quâ miſſio Ioannis continetur, cui ſimilem ſectarij nullo modo producere poſſunt. Deinde & in eo ſenſu eam citat, qui erat apud omnes Iudæos receptiſſimus; omnes enim ſciebant de pręcurſore Domini, qui iam tum expectabatur, accipiendam eſſe; neq; Ioannes vllas ſcripturas vnquam contra receptum à Iudæis ſenſum, eſt interpretatus, vti Euangelici faciunt.

Lutherus & Zuinglius duæ Oliuæ Apocalypſis.

Pergit verò Miniſter ex ſcripturis oſtendere, Lutherum & Zuinglium à Deo immediatè miſſos: ſunt enim (inquit) illæ duæ oliuæ Apocalyp. 11. hoc eſt Enoch & Helias, non carne, ſed ſpiritu; ſicut enim Enoch & Helias extremis mundi temporibus ſunt cõtra Antichriſtum pugnaturi: ita Lutherus & Zuinglius eodem ſpiritu inſtructi, regnum & potentiam Antichriſti, hoc eſt Papæ expugnârunt, & funditus euerterunt.

Lutherus non Helias. Cui hæc riſum aut potiùs ſtomachum non commoueant? quid enim inſulſius dici potuit, quàm Lutherum eſſe ſpiritu Heliam? Chriſtus à Iudæis interrogatus de Helia venturo, docuit Ioannem eſſe Heliam ſpiritu & virtute: ſiquidem vt is præcedet ſecundum Chriſti aduentum: ita Ioannes præceſſit primum. Quæ ergo dementia male ſani capitis eſt aduerſus Chriſti interpretationem, pro Ioanne Lutherum Heliam ſpiritu aſſerere.

Deinde, ſi Lutherum & Zuinglium re ipſa Heliam & Enoch eſſe vult Miniſter, nihil abſurdius. quæ enim de his in Apocalypſi dicũtur, Luthero & Zuinglio conuenire non poſſunt. Illi enim extremis mundi temporibus, per tempus & tempora, & dimidium temporis duraturi deſcribuntur, & ab Antichriſto occidendi in Hieruſalem, & inhumati poſt tres dies & dimidium iterum reuicturi, & viuentes in nube abituri in cælum. Quid horum Luthero & Zuinglio accidit? ſi verò Lutherum & Zuinglium non re ipſa, ſed ob ſimilitudinem Heliam & Enoch dici volunt: aio nullam omninò ſimilitudinem eſſe. Vt enim omittam impuriſſimis Apoſtatis cum ſanctiſſimis viris, qui vt oliua & candelabra ſtant ante Deum, nihil ſimile eſſe poſſe: tria perſpicuè cõmemorantur de illis duabus oliuis in Apocal. quæ Luthero & Zuinglio ne per ſimilitudinem quidem vllam accommodari poſſunt. In
1. primis quod ad officium attinet, *Prophetabunt*, inquit, *diebus mille ducentis*
2. *ſexaginta, amicti ſaccis.* Secundò, quod ad poteſtatem miracula faciendi attinet, *Hi habent*, inquit, *poteſtatem claudendi cælum, ne pluat prophetiâ eorum diebus, & poteſtatem habent ſupra aquas, conuertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plaga, quotieſcunque voluerint.* Tertiò, quòd tandem ſint
3. martyrium in teſtimonium fidei ab Antichriſto ſubituri. Quid horum Apoſtatis illis accommodari poteſt? num aliquando prophetarunt? num ſaccis amicti publicam pœnitẽtiam egerunt? at nihil magis oderunt: nimis aſpera hæc ſunt pro delicato eorum Euangelio. Nam de miraculis quid attinet dicere. Quale verò martyrium ſubiit Lutherus & Zuinglius in teſtimonium ſui Euangelij, omnes norunt.

At inquies, pugnarunt cum Antichriſto, in eoque ſimilitudinem Enoch & Heliæ in ſe expreſſerunt. Minimè verò; nullos enim Antichriſtus fideliores & ſibi magis addictos præcurſores habuit, quàm Lutherum, Caluinum, Zuinglium; hi enim & doctrina, & vita ac moribus viam Antichriſto egregiè appararunt, & ea quæ oppugnaturus eſt

Lutherus & Zuinglius præcurſores Antichriſti.

rus eſt Antichriſtus, iuge videlicet ſacrificium, Sanctos qui in cælis habitant, omnem Chriſti cultum & venerationem; denique omnem quam in terris reliquit Chriſtus ligandi atque ſoluendi poteſtatem: ea iſti non ſolùm impugnarunt, ſed etiam multis imperitis, quà concionibus, quà libris perſuaſerunt. Carnis verò licentiam, & voluptates quibus affluet Antichriſtus, Daniele teſte, (erit enim in concupiſcẽtiis fæminarum) nullus magis in orbem Chriſtianum inuexit, quàm iſti molli ſuo & delicato Euangelio; cùm omnem ieiunandi, & corpus affligendi, votaque caſtitatis ſeruandi, legibus Eccleſiæ obtemperandi obligationem, vti rem ſuperſtitioſam, & libertate Euangelica indidignam è medio ſuſtulerunt. Quocirca dubium non eſt, vbi venerit Antichriſtus; nullos æquè ac iſtos Euangelicos vnà cum Arrianis habituros fideliſſimos amicos; vtpote doctrina & moribus ſibi quàm ſimillimos. Ex quò apparet non ſimilitudine officij Enochum & Heliam, ſed Antichriſtum doctrinæ & morum ratione Lutherum & Zuinglium referre.

Sed demus dicendos eſſe virtute & ſpiritu duas oliuas: illud tamẽ efficitur, ſi Lutherus ſit illarum oliuarum vna; alterum Zuingliũ eſſe nulla ratione poſſe: aut ſi Zuinglio vna concedatur, altera Luthero deneganda erit. Illæ enim oliuæ ſumma animorum & doctrinæ conſenſione corde vno, & ſpiritu vno in Dei gloria promouenda, & Antichriſti machinationibus euertendis elaborarunt; inter Lutherum verò & Zuinglium, Deus bone, quanta animorum & doctrinæ diſſenſio? quanta conuiciorum petulantia & acerbitas? vnus alteri impius, hæreticus diabolo plenus, & quid non? ſcatent his & ſimilibus conuiciis vtriuſque ſcripta. Etenim in defenſione verborum cœnæ, Lutherus de Zuinglianis ita ſcribit: *Non ad eos,* inquit, *reſpicio, ſed ad illum, qui per eos loquitur, diabolum inquam: quemadmodum & illi viciſſim me plenum diabolorum eſſe putant.* Et in breui confeſſione de cœna Domini: *Zuinglianos,* ait, *habere blaſphemiam, & mendacem hæreſim. Cæterum cor & os mendax, indiabolatum, perdiabolatum, & ſuperdiabolatum.* Zuingliani viciſſim faciunt: *Lutherum hæreſiarcham, ipſo furioſo Dæmone deteriorem, eius verba omnibus Dæmonibus referta eſſe: quòd dicat malignum Dæmonem habitare in Zuinglianis, & nunc & ſemper habere illum inſatanizatum, perſatanizatum, ſuperſatanizatum, blaſphemumque pectus & animum, & os vaniſſimum, cui inſuſus, & perſuſus, ſiue transfuſus ſatanas dominetur.* Ita Miniſtri Zuingliani in epiſtola ad Lutherum

Lutheri et Zuinglij diſſenſio quanta.

Lutheri de Zuinglianis teſtimonium.

Zuinglianorum de Luthero teſtimonium.

Digitized by Google

therum. Ergone tales viros omni malitia & nequitia plenos, eſſe duas oliuas in Apocalypſi deſcriptas, poterit quiſquam in animum inducere? Acne illud quidem verum eſt quod aſſerit Miniſter, Lutherum & Zuinglium regnum Papæ expugnaſſe. Portæ inferi totis his mille ſexcentis annis, præualere aduerſus Papam non poterant; etiamſi omnem vim ad id admouerent tot Hæreticorum miniſterio: multò min' igitur Lutherus cum Zuinglio præualere potuerunt, aut poterunt. *Cælum & terra tranſibunt, verba autem Chriſti,* quibus perpetuitatem Eccleſiæ ſuæ ſtabiliuit, *non tranſibunt.* Nam & ſi Lutherus multa hominum millia ab Eccleſiæ & Romani Pontificis obedientia abſtraxit; tamen ij miſerè ſe deceptos aduertentes, indies errores ſuos agnoſcunt & execrantur, & ad Eccleſiam, extra quam non eſt ſalus, magno animi ſenſu reuertuntur. Quam verò vaſtitatem Eccleſiæ in Europa intulit Lutherus; eam Deus in orbis noui ampliſſimis prouinciis & regnis, plurimorum infidelium conuerſione compenſat. Non euertit igitur regnũ Papæ Lutherus, quod ſe mendaciſſimè euerſurum iactabat: *Peſtis eram viuens, moriens ero mors tua Papa.* Seipſum potiùs euertit, cùm ex doctrinæ ipſius principiis, eius diſcipuli ab ipſo recedunt quotidie, & in Caluiniſtas aut Arrianos transformantur; ita à Luthero edocti, vt eam doctrinam ſequerentur, quæ locis ſcripturæ inter ſe collatis verior videretur.

Lutherus Papæ regnum non expugnauit.

An Enoch cum Helia venturus.

Ex quibus omnibus perſpicuum eſt, miſſionem à Deo immediatam, nulla ratione probare poſſe Miniſtros Euangelicos. Vnum tamen addiderim, quod ad ſignificationem duarum illarum oliuarũ pertinet. Etſi enim Catholicis ſatis conſtare videtur, vnam illarum oliuarum Heliam eſſe, quem & venturum in fine mundi, & Iudæis prædicaturũ, & reliquias Iſrael reſtituturum, ſacræ literæ docent; tamen quis alterius oliuæ nomine intelligendus ſit, non eſt omninò certum. Nam qui Enochum intelligunt, eo argumento ducuntur; quod apud Eccleſiaſticum legitur Enoch placuiſſe Deo, & tranſlatus eſſe ad paradiſum, vt det gentibus pœnitentiam. Qui verò Moyſem Heliæ adiungunt, vti & in transfiguratione ambo vna apparuerunt, aiunt vtriuſque miracula in Apocalypſi recenſeri: & vtrumque ex propriis miraculis deſcribi. Nam cùm dicitur: *Hi habent poteſtatem claudendi cælum, ne pluat diebus prophetiæ ipſorum*; poteſtas & miracula Heliæ deſcribuntur: cùm verò additur, & poteſtatem habent ſupra aquas, conuertendi eas in ſanguinem,

Digitized by Google

nem, & percutere terram omni plaga, quotieſcunque voluerint; poteſtas & miracula Moyſis, quæ in Ægypto exercuit, indicantur: niſi fortè ita res hæc tota componi poſſit, vt dicamus, & Enoch venturum ad conuertendas gentes, vt Eccleſiaſticus commemorat: & Moyſem vnà cum Helia ad conuertendos Iudæos.

Miſſionem à Deo mediatam, Lutherani & Caluiniani Miniſtri probare non poſſunt. CAP: XI.

AD miſſionem mediatam pertinere diximus, vt ſit ab hominibus diuinitus miſſis: alioquin diuina non erit. Si enim illi qui alios mittunt, nulla diuina poteſtate ad mittendum ſint præditi; miſſio illa tota humana erit & politica: quippe quæ humana non diuina poteſtate perficiatur. Et verò cùm de Miniſtrorum miſſione agimus, diuinam miſſionem vrgemus, non politicam. Nam & officium Miniſtrorum ſanctum eſt, non profanum; poteſtatisque diuinæ communicationem requirit, quam politica poteſtas impertiri non poteſt; & ſi ſolùm à poteſtate politica fiat miſſio, non eam Miniſtro authoritatem conciliabit, quæ ad miniſtri officium neceſſaria eſt; nimirùm vt verbum eius, non vt verbum hominum, ſed vt verè eſt verbum Dei, accipiatur. Non eſt enim certò verbum Dei, niſi ita proponatur, quo modo illud intellexerunt & prædicàrunt homines à Deo miſſi. Omnes enim Hæretici idcirco ſunt Hæretici, quòd verbum Dei propria interpretatione adulterant, nec eam interpretationem ei adhibeant, quam Spiritu ſancto inſpirati & locuti ſancti Dei homines. 2. Petri 1. Accedit quòd Chriſtus cum alia multiplici poteſtate, hanc quoque Miniſtros mittendi poteſtatem Eccleſiæ ſuæ reliquit: eſt enim ea poteſtas eius poteſtatis pars, quam Spiritus ſanctus ad regendam Eccleſiam cõceſſit: cùm nec oues benè gubernentur, niſi illis paſtores legitimi, in quibus illæ tutè conquieſcere poſſint, præficiantur; nec Paſtores ſi à ſublimioribus poteſtatibus non dependeant: denique ordo in Eccleſia conſeruari non poteſt, niſi per iſtam ouium à Paſtoribus, & Paſtorum inferiorum à ſuperioribus dependentiam. Vt enim oues ſi paſtore careant, ſunt abſque ordine: ita & Paſtores inferiores, ſi Paſtoribus ſuperioribus ſubiecti non ſint, ſine ordine ſunt. Porrò in Eccleſia ea eſt Paſtorum dependentia, vt non ſolùm vnus ab alio; ſed etiam omnes ab ipſis Apoſtolis Apoſtolicisque viris (ab iis enim omnis Eccleſiaſtica pote-

Miſſio ab hominibus diuinitus miſſis.

ca pote-

ea poteſtas in alios dimanauit) legitima ſucceſſione dependeant; interrupta enim ſucceſſione, poteſtatem omnem interrumpi neceſſe eſt; ſicuti fonte obſtructo, aquam in fluuio ſiccari oportet. Quo fit, vt neceſſarium planè ſit ad mediatam miſſionem, vt ij qui mittunt, ſint viri diuinitus miſſi, vel ab iis, qui diuinitus miſſi ſunt, continua ſucceſſione poteſtatis & doctrinæ deſcendant: alioqui diuina poteſtate non mittent, ſi eam vel mediatè vel immediatè non acceperunt.

Iam igitur proferant Euangelici miſſionis mediatæ ſuorum Miniſtrorum legitima documenta. Nam ſi dicant ſe à Magiſtratu ciuili miſſos: ea miſſio politica eſt & profana, non legitima ac ſacra; neque ob eam Miniſtri Eccleſiaſtici, ſed miniſtri politici conſtituentur. Vt enim Miniſter politicus à Magiſtratu politico creari debet: ita ſacer Miniſter, cum poteſtate ſacra & diuina tractandi, à ſacro & diuino Magiſtratu, qui diuinitus eam poteſtatem habeat, conſtituendus eſt. Veriſſimum enim illud eſt, quod omnium ore teritur; nemo dat quod non habet. Quocirca pro mero delirio habendum eſt, quod Lutherus ſcriptum reliquit in caput primum Epiſtolæ ad Galatas ſecundæ enarrationis: *Quando,* inquit, *Principes, aut Magiſtratus, vel ego, aliquem vocamus, is vocationem habet per hominem: cùm enim,* inquit, *Princeps, ſeu alius Magiſtratus me vocat: iam certò & cum fiducia gloriari poſſum contra Diabolum & hoſtes Euangelii, quòd mandante Deo, per vocem hominis vocatus ſim. Eſt enim ibi mandatum Dei per os Principis, quod me certum reddit, vocationem meam eſſe veram & diuinam.* Hæc Lutherus. Sed quid aliud hæc ſunt, quàm deliria? Quis enim Magiſtratui ciuili poteſtatem dedit creandi Eccleſiæ Miniſtros, & poteſtatem illis ſpiritualem conferendi, quam ipſe non habet? Nam ſi Miniſter poteſtatem ſpiritualem nullam habet in ſubditos; quid aliud eſt quàm præco ſtipendio conductus? Si verò prætendat aliquam ſe habere; eam à Magiſtratu ciuili non magis poteſt obtinere, quàm ſi quis à Prætore vel Conſule Doctor Theologiæ crearetur. Vt enim regimen ciuile eſt ab Eccleſiaſtico diſtinctum: ita creare Magiſtratus Eccleſiaſticos ad ciuilem Magiſtratū non pertinet. Quamuis enim ſuperior Magiſtratus inferiores creare poſſit; cùm illos quodam modo poteſtate ſua comprehendat; tamen inferior ſuperiorem minimè: multò verò minus ſæcularis ſpiritualem; ſemper enim ſine contradictione verum eſt, minus à meliori benedici, vt author eſt S. Paulus Hebr: 7.7. Quod ſi ea miſſio, quæ à Magiſtratu ciuili ad miniſterium vocante proficiſ-

Magiſtratus ciuilis non creat Miniſtros.

1.

2.

3.

Digitized by Google

proficiſcitur cenſeatur legitima, erit profectò omnium Hæreticorum Arrianorum, Caluiniſtarum, Lutheranorum, miſſio æquè legitima; nullus enim eſt, qui non inueniat aliquem fanaticum ſibi ſimilem, à quo vocetur & conducatur? Si igitur Luthero ſua miſſio videtur legitima, quòd ſit à Principe vel Magiſtratu vocante; cur non Caluini quoque ac Zuinglij debeat æquè legitima videri? Omnes igitur Hæreſum Magiſtri erunt æquè legitimi Miniſtri: quantumuis pugnantia doceant; quo nihil abſurdius. Et hic eſt ille ſcopulus, in quem omnes iſtos Euangelicos impingere video; qui cùm miſſionem ſuam deducere non poſſint à viris Apoſtolicis, & diuinitus miſſis; prouocant ad Magiſtratum ciuilem. Quaſi verò Magiſtratus ciuilis, terminos ſuæ poteſtatis, quibus circumſcribitur, non habeat, ita vt mittere falcem in meſſem alienam minimè poſſit, & ſi quid extra limites ſuæ poteſtatis faciat, non illicò ſit per ſe irritum & innane. Et ſi enim verum eſt quod Apoſtolus ait, omnem Magiſtratum etiam ciuilem, poteſtate à Deo data gubernari, & obligare ſubditos ad ſibi parendum, non ſolū propter iram, ſed etiam contra conſcientiam, Rom: 13. 1. 3. tamen neque Deus omnem poteſtatem ciuili Magiſtratui contulit, ſed ciuilem duntaxat; eique ſolùm intra limites ciuilis poteſtatis obedire in conſcientia voluit: neque ſi quid Magiſtratus ciuilis extra fines ſibi conſtitutos attentat, diuina ſe authoritate tueri quoquomodo poteſt, cùm in eo modum ſuæ poteſtatis excedit. Quod igitur Lutherus dicit eſſe mandatum Dei per os Principis, ſi in rebus ciuilibus intelligat, nihil verius; ſi extra, eſt licentia non ferenda, in qua re fateri debeo, Lutheranos eſſe minus Arrianis abſurdos. Nam illi ſuam miſſionem in Magiſtratum, cuius eſt aliqua poteſtas publica, referunt: hi verò cuiuſcūque tandem ex infima plebe approbatione ſunt contenti, ſiue is ſutor, cerdo, carnifex ſit, ſiue puer atque fæmina, dummodo illos audire velit. Nec mirum: ſiquidem ad tale miniſterium melior approbatio non requiritur. 4.

Limites poteſtatis ciuilis.

Habent aliud effugium Lutherani & Caluiniſtæ, cùm dicunt, primos ſuæ ſectæ authores, Lutherum, Bucerum, Oecolampadium, Zuinglium, & alios, in Eccleſiis Pontificiis, partim ſacerdotes, partim Epiſcopos creatos fuiſſe; ideoque legitimè vocatos & miſſos fuiſſe. Verùm hæc nihil iſtos iuuant, nec quidquam ad miſſionem faciunt. Primùm, quòd ipſorum & Lutheri præcipuè ſit ſententia in libello de in- 1.

Ordinatio Eccleſiæ Catholicæ nil iuuat Euangelicos.

ſtituendis Eccleſiæ Miniſtris ad Senatum Pragenſem; per ordines Papiſticos non fieri ſacerdotes Dei, ſed ſacerdotes ſathanæ; & nuſquam minus ordines ſacros conferri, aut ſacerdotes fieri, quàm ſub Papæ regno. Qui ergo fieri poteſt, vt id ſit legitimæ miſſionis argumentum, quo à Chriſto ad ſathanam homines transferuntur? Deinde, aliud eſt
2. ordinatio, aliud miſſio. Nam ordinatis ſolùm confertur, ex vi ordinationis triplex iſta poteſtas, conficiendi corpus & ſanguinem Chriſti, & offerendi illud Deo in ſacrificium pro viuis atque defunctis, & poteſtas remittendi peccata ac retinendi: quæ tria quicunque ſacerdotes in ordinatione obtinent, etiamſi miſſi non ſint. Qui verò præterea mittuntur, poteſtatem ſingularem accipiunt verbi Dei prædicandi, nō ex ſuo proprio, ſed ex communi Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ ſenſu: quæ quidem poteſtas, vti à poteſtate ordinis eſt diſtincta: ita poteſt ab Eccleſia dari & auferri, prout ad bonum animarum expedire viſum fuerit. Non igitur ſatis eſt eſſe ſacerdotem ordinatum, ad hoc vt legitimè miſſus cenſeatur: alioqui omnes ſacerdotes Apoſtatæ, Hæretici, vel alia ratione errorum magiſtri, dicendi eſſent legitimè miſſi: ſed neceſſe eſt, vt munus docendi vel regendi, ſingulari ratione ei demandetur, & poteſtas fiat publicè pro officio ea tractandi.

3. Accedit, quod etſi Lutherus cùm Catholicus eſſet, poteſtatem legitimam ab Eccleſia ad prædicandum acceperit; tamen ea poteſtas nō erat illi data ad ſuas hæreſes ſeminandas, fidem Catholicam euertendam; ſed ad Chriſti Euangelium ſenſu Catholico & Apoſtolico docendum. Lutherus verò ex Catholico Apoſtata & Hæreticus factus, hac poteſtate non eſt vſus; ſed ſine vlla poteſtate ſuum quintum Euangelium prædicauit, ac proinde ſine vlla miſſione legitima. Cùm verò dicunt Lutherum ea poteſtate legitima vſum eſſe, qua Papiſtæ non legitimè vtuntur; acuti iſti homines non aduertunt, eum ab Eccleſia excommunicatum omni poteſtate illicò excidiſſe: neque potuiſſe ea re quam non habuit, legitimè vti. Poteſt enim Eccleſia malos Paſtores & Doctores de gradu deiicere, & omni eis vſu poteſtatis interdicere. Adhæc, ſi quam poteſtatem prædicandi accepit ab Eccleſia Lutherus; illa non erat poteſtas abſolutè prædicandi Dei verbum, ſed Catholico & Apoſtolico ſenſu prædicandi; quæ poteſtas proculdubio nihil habet commune, cum ea, quam ſibi poſt vſurpauit Hæreticus factus. Arrogauit enim ſibi poteſtatem, proprio ſenſu & interpretatione verbum

Obiectio Euangelicorum refellitur.

Dei

Digitized by Google

Dei prædicandi, contra omnem Eccleſiæ & Apoſtolicũ ſenſum, quod eſt adulterare Dei verbum, non prædicare. Sine enim eo ſenſu quem Apoſtoli tradiderunt, verbum Dei non eſt verbum Dei; ſed corruptũ, adulteratum, transformatum.

Doctoratus Lutheri.

Non commemoro aliud effugium quod Lutherus frequenter inculcat, tanquam ſingulare ſuæ vocationis argumentum: nempe Doctoratus inſigne, quo ipſe à præceptore & promotore ſuo Carolſtadio condecoratus eſt; piget enim talia ſomnia refutare, cùm manifeſtè conſtet, Doctoratum Academicum ad Scholam, non ad Eccleſiam pertinere; & in eo fieri poteſtatem cathedram in ſchola conſcendendi, & ex ea docendi; non autem officium aliquod & miniſterium in Eccleſia vſurpandi.

Miſſio an ex Dei verbo probetur.

His itaque reiectis, nihil aliud refellendum reſtat, quàm quod Volkelius hîc aſſerit, ex miſſione non poſſe veram prædicationẽ probari, ſed ex ipſo Dei verbo, quod eſt ſtatera & regula, ad quam omnia diiudicare oportet. Si id ita eſt: cur ergo ſcriptura miſsionem ad prædicationem ita requirit, vt ſine ea neminem prædicare poſſe doceat? *Quomodo*, inquit, *prædicabunt, niſi mittantur?* Miſsio enim ad prædicationem requirtur, tanquam diuinum quoddam prædicationis teſtimoniũ: ſcilicet, vt quæ à prædicante dicuntur, Dei eſſe verba credantur, quòd is à Deo miſſus ſit. Quod ſi hoc modo miſsio prædicationi fidem & authoritatem conciliat: quomodo ex ea non poſsit vera prædicatio demonſtrari? Nam & Chriſtus Ioan: 10. ex ſua miſsione à Patre, ſe non blaſphemare oſtendit: *Quem*, inquit, *Pater ſanctificauit, & miſit in mundum, vos dicitis, quia blaſphemas, quia dixi Filius Dei ſum*.

Miſsio prior prædicatione.

Malè verò habet Volkelium, quod in Nodo à me adiunctum eſt, non ex prædicatione miſsionem, ſed ex miſsione prædicationem probandam eſſe; quòd miſsio ſit prior prædicatione: & negato eo quod prius eſt, negare neceſſe eſt id quod poſterius. Quam conſecutionem cùm non intellexiſſet Volkelius, imperitè refellit: poteſt enim, inquit, prius ex poſteriori probari, vt cauſa ex effectu. Quaſi verò id abſolutè à me negetur, & non expreſſè dicatur; negato priori, non poſſe affirmari id quod eſt poſterius; ſublataque miſsione, non poſſe prædicandi officium haberi legitimum; nec in eo caſu poſſe aut debere ex poſteriori colligi prius; ſiquidem ſublato priori, poſterius etiam auferri neceſſe eſt. Adhæc, ſi prædicatio eiuſque veritas nobis notior

 eſſet;

eſſet; ne tum quidem poſſet ex ea inferri miſsio. Non enim ſi quis vera prædicet, eo ipſo miſſus cenſeri debet: quantò minus id fieri poteſt, cùm ex ipſa prædicatione iudicium certum de veritate fieri non poteſt, quantumuis ſcripturæ cum ſcripturis conferantur. Rectè igitur à me dictum eſt, prædicationem non eſſe idoneum medium ad probandam miſsionem: quippe quod nobis ſit longè ignotius miſsione. Ineptiſsimum enim argumentandi genus eſt, ab ignotis ad ea quæ ſunt magis nota ratiocinari. Quæ ſi Volkelius nõ dormiens legiſſet, non habuiſſet quod refutaret. Sed ad examen demonſtrationis ſecundæ veniamus.

Examen ſecundæ demonſtrationis, qua Miniſtri Euangelici eo quòd ritè ordinati non ſunt, illegitimi Miniſtri eſſe oſtenduntur. CAP: XII.

Veri & legitimi Miniſtri, ritè ordinari & conſecrari debent.
Miniſtri Euangelici non ſunt ritè ordinati & conſecrati;
Non ſunt igitur legitimi Miniſtri Euangelici.

Veri Miniſtri conſecrantur à Deo ad miniſterium.

TAm ſanctum atq; diuinum eſt Miniſtrorum Eccleſiæ officium, vt ad illud ritè obeundũ eos ſanctificari & conſecrari oporteat. Patet id primùm Chriſti Apoſtolorumq; exemplo: nam princeps Paſtorum omnium Chriſtus, non niſi ſanctificatus à Patre, miſſus eſt in mundum. Ioan: 10. Voluitque ſuam miſſionem eſſe miſſionis noſtræ exemplum, illis verbis: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos* Ioan: 20. idque mox re ipſa demonſtrauit, cùm Apoſtolis quos tunc mittebat, dedit Spiritum ſanctum, quo ad tam diuinum munus ſanctificarentur. Quin & præcurſorem ſuum, vt dignè ipſum venientem hominibus annunciare poſſet, in vtero adhuc exiſtentem ſanctificauit. Apoſtoli etiam, iis quos in Epiſcopos vel Presbyteros ordinabant, impoſitione manuum conferebant Spiritum ſanctum; eamq; gratiam, quæ ex impoſitione manuum dabatur, exſuſcitari monebant, ad ritè munus illud obeundum. Sic Timotheus & Titus à Paulo ordinati, & vt alios ſimili ratione ordinarent, edocti ſunt. 2. Tim: 1. 8. 1. Tim: 4. 14. Tim: 1. 5. Et ſanè ſi ſacerdotes Leuiticos, ad dignè ſua munera peragenda, Deus tam ſolenni ritu ſanctificari voluit, cùm nil niſi terrenum agerent; eorumque miniſterium ſolùm ad ſanctificationem carnis, non

ſpiritus

Digitized by Google

ſpiritus ſpectaret: quantò maiori ſanctificatione opus eſt noui Teſtamenti Miniſtris, quos Deus *idoneos fecit Miniſtros; non litera, ſed ſpiritu.* 2. Cor: 3. 6. Quæ conſecutio tantò firmior eſt, quòd eam loco citato S. Paulus adhibeat. Sic enim argumentatur: *Si miniſtratio mortis literis deformata in lapidibus fuit in gloria, ita vt non poſſent filii Iſrael intendere in faciem Moyſi, propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur: quomodo non magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria?* Ac ſi diceret: ſi tantam gloriam Deus Moyſi in carne contulit, vt eſſet Miniſter idoneus legis carnalis; quantò maiorem gloriam confert in anima Miniſtris Euangelij, vt efficiantur idonei Miniſtri legis ſpiritualis, & ſpiritum conferentis? Etenim ait eos non eſſe ex ſe idoneos; ſed ex Deo, nos, inquit, fecit idoneos Miniſtros. Hæc autem gloria in anima, ſunt dona illa ſingularia gratiæ Dei, quæ per Spiritum ſanctum communicantur iis, qui per impoſitionem manuum ad hoc miniſterium ordinantur. Neque dici poteſt Paulum de primis tantùm Euangelij Miniſtris loqui, hoc eſt de Apoſtolis. Nam licet primis illis, maior Dei donorum copia deberetur, ad illuſtrandos homines Euangelij luce; tamen aliis quoque Miniſtris, non tanta quidem, at illorum ſtatui conueniens debetur: cùm & ipſi dicere poſſint, ac debeant, ſe non eſſe ex ſe idoneos Miniſtros, ſed ex Deo omnem ſufficientiam habere. Ac, vt in lege veteri, Moyſi quidem ſingularem quandam claritatem vultus contulit, aliis verò deinceps Miniſtris illam claritatem non communicauit: at tot ritibus & ceremoniis eos ad munus ſuum conſecrari voluit, vt omnes intelligerent diuinum quiddam iis ineſſe, quos Deus tam multiplici & ſolenni ritu ad id munus deſtinauit: ita de Miniſtris Euangelij cogitandum eſt, non ea quidem diuinorum donorum copia ornatos eſſe, qua Apoſtolos; ea tamen quam vocatio eorum & officij ſanctitas requirit; quod vel illa cerimonia ab Apoſtolis in ordinatione adhibita indicat, cùm præmiſſis ieiuniis & orationibus, manus ordinatis imponerent; tanquam rem ſanctiſſimam operaturi, ad quam ritè præſtandam, ſe ieiuniis & orationibus communiebant, quod hucvſque ſanctè obſeruat Eccleſia Catholica, in ordinationibus Quatuor temporum.

Argumentum Pauli.

Quid ad hæc Volkelius? negat exemplis, ſed legibus agendum eſſe. Non enim, quia ea ratione Apoſtoli, & alij ab Apoſtolis ordinati ſunt, conſequens & omnes ſimiliter ordinari debere. Ita iſti temerarij homines, Chriſti & Apoſtolorum exempla pro lege habere dedignantur.

Exempla Chriſti & Apoſtolorum leges noſtra.

Digitized by Google

gnantur. Et quidem ſuis exemplis docuit Chriſtus: *Exemplum dedi vobis, vt ſicut ego feci, ita & vos faciatis* &, *Quod vobis dico, omnibus dico.* De miſſione verò Apoſtolorum in particulari ait. *Sicut miſit me Pater, ita & ego mitto vos*; ſuæ miſſionis exemplum, legem & regulam miſſionis aliorum inſtituens. Et ſanè cùm Miniſtri in Eccleſia Dei inſtituendi ſint: quâ meliori ratione illos inſtitui conuenit, niſi ad eam normam cuius exemplum in Chriſto & Apoſtolis habemus? Potiùs quàm alia ratione, quæ à Chriſto Apoſtolorumque exemplo diſſentiat: etenim & ſi Chriſti exempla in iis quæ nobis facienda non proponuntur, legum vim non habeant; vt cùm Chriſtum ſupra mare ambulantem, ventis & mari imperantem conſideramus: (hæc enim non ex illo rerum genere ſunt, quæ à nobis fieri debent aut poſſunt) tamen cùm in iis rebus verſantur, quæ fieri à nobis debent; ſunt proculdubio leges & canones noſtri: ita vt eam normam in iis faciendis ſequi nos oporteat, quæ in Chriſti & Apoſtolorum exemplo conſpicitur; non verò alia norma confingenda. Ex eo numero ſunt ea, quæ ad mores pertinent; Sacramentorum inſtitutio, Miniſtrorum creatio. Hæc enim cùm in Eccleſia præſtanda ſint; exemplo Chriſti & Apoſtolorum docemur, qua ratione præſtari oporteat. Non enim alia à nobis confecta ratione, ſed illa duntaxat, quæ in Chriſti & Apoſtolorum exemplis elucet, in iis efficiendis vti conuenit. Quare futilia & nullius momenti ſunt, quæ imperitè hoc loco contra ordinationis neceſſitatem adducit Volkelius, & alia refutatione opus non habent.

Euangelici veris Epiſcopis carent.

Iam verò poſita ordinationis neceſſitate, Miniſtros Euangelicos legitima ordinatione deſtitui, ex eo probamus, quòd veris Epiſcopis careant. Semper enim in Eccleſia ſanctum & inuiolatum habitum eſt, vt ſacerdotes non à ſacerdotibus, ſed ab Epiſcopis ordinarentur: eoq; Epiſcopi à reliquis ſacerdotibus diſtarent; quòd Epiſcopi alios ordinandi poteſtatem diuinitus haberent, quam reliqui ſacerdotes non habent, vt in Nodo noſtro demonſtrauimus. Quare & Aërij ſententia pro hæreſi ab Eccleſia habita eſt, Epiphanio & Auguſtino teſte, quòd Epiſcoporum & ſacerdotum poteſtatem confunderet: & antiquiſſimi canones Apoſtolorum ea de re extant, à Clemente relati, & perpetuo Eccleſiæ vſu comprobati, vt ſacerdotes ab vno Epiſcopo, Epiſcopi verò à tribus Epiſcopis ordinentur, qui ſunt primi duo inter canones Apoſtolicos; inauditumque eſt in Eccleſia aliquem pro legitimè ordi-

nato

Digitized by Google

nato habitum, qui ab Epiſcopo ordinatus non eſſet. Quæ cùm impudenter à Volkelio negētur, facilè apparet, quà contumacia eſſe oporteat eos, qui morem ordinandi ab Apoſtolis vſurpatum, & Eccleſiæ traditum, ac à primis temporibus hucuſque conſeruatum, in dubium adducere non verentur, non alio argumento, quàm capitis ſui figmēto.

Ait Volkelius Paulum & Barnabam ab Eccleſia Antiochena ordinatum non fuiſſe, Act: 13. cùm Paulum iam ante Apoſtolum fuiſſe, Barnabamque cum Paulo iam pridem docendi munus adminiſtráſſe conſtet: vnde ait, opus illud ad quod Deus illos aſſumpſerat, non munus docendi, ſed aliud quidpiam fuiſſe. At Volkelio tota Doctorum antiquitas repugnat, qui eo tempore Paulum & Barnabam fuiſſe ordinatos Epiſcopos conſtanter tradunt, cùm ante inter Prophetas & Doctores tantummodo eſſent. Cùm enim Deus vellet illos Apoſtolos creare, & toti quodammodo orbi præficere, (quod ſine ordine Epiſcopali eſſe non poterat) iuſſit Deus per Prophetas, qui ibi erant, vtrumque ſegregari ad opus ad quod illos aſſumpſerat, & deſtinauerat, hoc eſt ad opus & munus Apoſtolicum, ſeu vt ipſe Paulus explicat Gal: 1. 15. ad Euangelizandum gentibus. Et quidem ad munus Apoſtolicum diſertè teſtatur Paulus, ſe non ab hominibus, neque per hominem; ſed ab ipſo Deo vocatum eſſe. Gal: 1. hoc enim ratio Apoſtolatus poſtulabat, vt ſit miſſio, & immediatè ab ipſo Deo: & ſicut Matthias non impoſitione manuum, ſed diuina electione fuit declaratus Apoſtolus: ita & Paulus. Hanc verò vocationem ſuam ad Apoſtolatum, appellat vocationem ad Euangelizandum gentibus, Gal: 1. 15. quæ vocatio tunc contigit, cùm ſegregati ſunt, mandante Spiritu ſancto, ad opus ad quod aſſumpſit eos; mox enim ad prædicandum gentibus profecti ſunt. Etſi enim ante etiam prædicàrint, & docuerint vt alij Doctores: tamen Apoſtoli, hoc eſt Doctores vniuerſales totius mundi, ante non fuerunt; ſed tunc primùm ſunt à Deo creati: probabiliſſimumque eſt hoc tempore illum raptum in tertium cælum Paulo contigiſſe, cuius ipſe meminit 2. Cor: 12. 2. tunc enim & publicè declaratus eſt Apoſtolus, & myſterium vocationis gentium ipſi patefactum. Accedit, quòd illi Antiocheni Doctores & Prophetæ, cùm ipſi Apoſtoli non eſſent, ordinare Paulum ad Apoſtolatum non poterant. Id ergo quod fecerunt, eſt: poſtquam à Prophetis Spiritus ſancti mandatum acceperunt, de ſegregandis Paulo & Barnaba ad Apoſtolatum: ſimul faciendum

Paulus quando ordinatus Epiſcopus.

Digitized by Google

ſibi intellexerunt, vt ipſis adiicerent, quod ad Apoſtolatûs dignitatẽ, & munus rectè obeundum, omninò requirebatur. Quare tres illi Epiſcopi, qui tum erant Antiochiæ, Simon qui vocabatur Niger, Lucius Cyrenenſis, & Manahen, indictis ieiuniis & orationibus, impoſitione manuum creauerunt illos Epiſcopos. Mox enim vt ex conſequenti capite patet, & notauit Oecumenius, exercere cæperunt munus Epiſcopale, conſtituendo Presbyteros per ſingulas ciuitates, quod erat Epiſcoporum proprium. Quare ſimul & à Deo declarati ſunt Apoſtoli, & ab Eccleſia creati Epiſcopi; ita vt opus ad quod aſſumpti erant à Spiritu ſancto, fuerit Apoſtolatus; id verò quod impoſitione manuum illis collatum eſt, erat Epiſcopatus. Hoc enim & veteres Patres intellexerunt, & ex 1. Tim: 4. conſtat Epiſcopos impoſitione manuũ Preſbyterij initiari conſueuiſſe; æquiuſque eſt toti antiquitati de ſenſu huius cerimoniæ credere, quàm malè ſano Volkelij capiti. Nam quod ait eam cerimoniam in primitiua illa Eccleſia ad dona ſpiritualia, ſeu χαρισματα conferenda vſurpatam fuiſſe; quæ tamen ſicut & poteſtas miraculorum iam ceſſarunt, id ſi ita intelligat, vt ſolùm ea χαρισματα, quæ gratiæ gratis datæ à Theologis nuncupantur, vt ſunt dona linguarum, prophetiæ, miraculorum, vehementer fallitur. Nam & ſi ea quoque dona impoſitione manuum conferentur: tamen præcipuè illa gratia Spiritus ſancti, quoad munus ſuum dignè obeundum ſanctificabantur. Licet ergo illæ gratiæ, quæ ſolùm ad fidem confirmandam ſpectabant, ceſſarint; ſiquidem & neceſſitas talium gratiarum ceſſauit, ſufficienter promulgato & miraculis confirmato Euangelio: tamen ea gratia qua ipſi ordinati, vt ſanctè munus ſuum obirent, ſanctificabantur, minimè ceſſauit; cùm eius par ſit ſemper neceſſitas: ſine enim gratia Spiritus ſancti nullus tam ſanctum munus dignè obire poteſt, vt docet expreſſè S. Paulus 2. Cor: 3. 5. vbi ideò docet nos à Deo fieri idoneos Euangelij Miniſtros, quia non ſumus ſufficientes aliquid cogitare ex nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Hæc verò erat illa gratia, quam Paulus Timotheum excitare iubet, datam ſibi per impoſitionem manuum, 2. Tim: 1. 6. eam enim ibidem vocat ſpiritum virtutis, & dilectionis, & ſobrietatis, quæ ad gratiam ſanctificantem, non ad gratias gratis datas pertinent. Hanc etiam Paulo & Barnabæ, Acto: 13. dum impoſitione manuum initiarentur, communicatam eſſe, par eſt exiſtimare. Nam quod ad alia

Impoſitione manuũ quæ gratiæ conferrantur.

charisma-

charifmata attinet, ea vterque iam ante habebant: erant enim è numero Prophetarum & Doctorum, vt ibidem verſu primo dicitur; poteſtatem verò Epiſcopalem nondum habebant; eaque ipſis impoſitione manuum tunc collata eſt, cum omni Spiritus ſancti plenitudine, ad id munus obeundum.

Porrò, ſi Miniſtri Euangelici ea ratione ſe tueri volent tanquam legitimè ordinatos, quòd à Catholicis Epiſcopis aliquando ordinati fuerunt: primùm agnoſcere debebunt in Catholica Eccleſia veros eſſe & legitimos Miniſtros; à quibus etiam Euangelici ordinationem legitimam mendicare coguntur. Deinde ea ordinatio nihil iuuat Euangelicos Miniſtros; cùm in Catholica ordinatione conferatur poteſtas cóficiendi corpus & ſanguinem Domini, Miſſas celebrandi, peccata remittendi; quam poteſtatem non ſolùm non agnoſcunt Euangelici, ſed etiam modis omnibus oppugnant. Quare cùm ordinatio Catholica nihil illos adiuuet, ad eos actus quos ſecundùm ſuum Euangelium ſibi arrogant: ipſo facto oſtendunt ſe ad ſui Euangelij functiones ordinatos non eſſe.

Examen tertiæ Demonſtrationis, qua oſtenditur Miniſtros Euangelicos poteſtate peccata remittendi carere, ideoq; veros Miniſtros non eſſe.

CAP: XIII.

Quicunque poteſtate remittendi & retinendi peccata carent, non ſunt legitimi Euangelici Miniſtri.
Miniſtri Euangelici carent huiuſmodi poteſtate:
Non ſunt igitur legitimi Euangelici Miniſtri.

QVanti fecerit, fieriq; ab omnibus voluerit ſuos Miniſtros Chriſtus, vel ea re maximè indicauit, quòd diuinam illam, quam habuit peccata remittendi poteſtatem cōmunem cum ipſis fecerit; vt quod ſolius Dei proprium eſt, id ipſi diuinitus ſibi facta poteſtate facerent. Ex quo elucet ſumma quædam Miniſtrorum in Eccleſia dignitas & amplitudo. Quam vti Catholici omnes ſuſpiciunt & venerantur; ita Euangelici reiiciunt, & contemnunt. Ac in primis Volkelius, eò dementiæ progreſſus eſt, vt aſſeruerit, ne Chriſtū quidē

 ipſum

Digitized by Google

Chriſto defuiſſe poteſtatem peccata remittendi, Arriani docent.

ipſum eam poteſtatem verè habuiſſe; tantùm abeſt vt eam communicauerit Apoſtolis. Nam Chriſto ante ipſius mortem, non aliam poteſtatem remittendi peccata concedit, quàm quæ in temporariis peccatorum pœnis, morbis nimirùm auferendis, conſiſteret. Poſt aſcenſum verò in cælũ, Catechefis Racouiana fol: 2. 86. concedit Chriſto etiam poteſtatem pœnas æternas auferendi, & ab ipſis peccatis non abſolutè vt deleantur, ſed ne eis ſeruiamus, liberandi. Ita blaſphemi iſti & Antichriſtiani homines, finem blaſphemiarum ſuarum nullum faciunt, & ſolam poteſtatem pœnas peccatorum temporales & æternas, non autem ipſa peccata remittendi in Chriſto agnoſcunt: nempe quod metuant, ſi eam Chriſto poteſtatem, quæ ſolius Dei propria eſt, conceſſerint, illicò Chriſtum eſſe Deum verum concedere cogantur. Verùm hanc tam diram blaſphemiam hoc loco refellere non attinet: ſatis illam refellit Chriſtus, Matt: 9. 5. Cùm enim ſimili ratione Scribæ hanc poteſtatem remittendi peccata Chriſto detraherent, eumq; blaſphemare putarent, in eo quod paralytico diceret: *Remittuntur tibi peccata tua*, quod Dei eſſe proprium exiſtimabant: mox Chriſtus non factũ negauit, nec illos opinione falli docuit, ſed nouo miraculo rem adſtruxit & confirmauit: *Vt,* inquit, *ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Surge, & tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Quo miraculo viſo, *turbæ timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus* Et ſanè nemo negare poteſt, hanc Scribarum quæſtionem non fuiſſe de remiſſione peccatorum quo ad pœnas temporarias, quales ſunt morbi qui ob peccata infliguntur; ſed de vera peccatorũ remiſſione quo ad culpam, quæ ſolius Dei eſt propria. Hanc negabant Iudæi, hanc ſe Chriſtus habere affirmauit edito miraculo, quo & morbum ſuſtulit, & peccatorum remiſſionem ante à ſe factam veram fuiſſe confirmauit. Quod ſi tum inſigne miraculum à Chriſto editum, ſatis erat ad hunc errorem in Iudęis reuincendum: quid ni ſatis eſſe credamus ad blaſphemiam Arrianam euertendam?

Confutantur.

Chriſtum inſufflando dediſſe Spiritum S. Apoſtolis re ipſa, negant Arriani.

Pergit verò Volkelius pluribus erroribus ſe inuoluere. Ait enim Chriſtum cùm inſufflauit in Apoſtolos, & dixit: Accipite Spiritum ſanctum ad remittenda peccata; nequaquam tunc re ipſa dediſſe Spiritum ſanctum, nec Apoſtolos re ipſa tunc accepiſſe, ſed quod breui futurum erat indicatum eſſe. quid ita? quia ſcriptum legimus Spiritum non fuiſſe datum, quia Ieſus nondum erat glorificatus. Ioan: 7. 34.

At.

At nihil dementius dici potuit. Nam ſi id ita intelligat, vt nemini ante Chriſti aſcenſum contigerit, aut contingere potuerit habere Spiritum ſanctum; id tam manifeſtè falſum eſt, vt nulla probatione egeat. Negandum enim id eſſet de iis omnibus, quos in ſcriptura legimus repletos eſſe Spiritu ſancto: ex quo numero fuit Ioannes in vtero, Zacharias & Elizabeth parentes eius: Simeon, Lucæ 1. & 2. & illi omnes quos Chriſtus, Ioan: 3. ex ſpiritu natos vel renatos appellat. Quod ſi de miſſione Spiritûs ſancti viſibili dictum S. Ioannis intelligat, vti intelligi poſtulat locus ipſe, & Patres omnes interpretantur; facilè videt Volkelius, ſe ad propoſitum ſcripturas non adducere. Cùm enim Chriſtus inſufflando, diceret ſe dare Spiritum ſanctum Apoſtolis; non de viſibili Spiritûs ſancti largitione in linguis igneis, aut in aliquo ſpectabili effectu loquebatur, vt neceſſe fuerit id ad futurum tempus miſſionis Spiritûs ſancti referre. Et ſanè licet verba præſentis temporis, nõ repugnet ad breui futurum tempus referre, cùm id circumſtantiæ loci poſtulant: ſicut cùm Lucæ 54. dicit Chriſtus: *Et ego mitto promiſſum Patris in vos: vos autem ſedete in ciuitate, quo ad vſque induamini virtute ex alto.* ea miſſio ob adiuncta futuri temporis verba, ad futurum tempus referenda eſt: tamen hoc loco, tot modis Chriſtus ſe in præſenti tempore, ſanctum Spiritum dare affirmat, vt ex tota antiquitate fuerit nemo, qui de hac re dubitauerit, aut dubitare potuerit; iſtis Arrianis Racouienſibus exceptis, quibus ea omnia dubia ſunt, quæ ab aliis certa & explorata habentur. Non enim quocunq; modo ait ſe dare, ſed inſufflando; qua ceremonia præſentem largitionem deſignat. atque ita ſe dare aſſerit, vt eos iubeat re ipſa accipere. Et ſicut re ipſa tunc mittebat Apoſtolos: ita & Spiritum ſanctum, vnà cum poteſtate remittendi peccata, illis actu ipſo conferebat; neq; aliquid eiuſmodi adiungitur, quod ad futurum tempus verba Chriſti detorqueri poſtulet. Nam quod Lucæ 24. promittit Apoſtolis daturum ſe Spiritum ſanctum poſt ſuum in cælos aſcenſum, ſcilicet ſpectabili ratione; id non facit, quominus eundem Spiritum ante dederit inuiſibili ratione: neque iſta in vnum confundenda ſunt; ſed per ſe, vt Chriſti verba ſonant, ſingula accipienda. *Refutatur.*

Iam verò Volkelius poteſtatem peccata remittendi à Chriſto conceſſam ita interpretatur; vt nihil aliud eſſe velit, quàm prædicationem & declarationem, quibus hominibus peccata à Deo remittantur, *Poteſtas remittendi peccata eſt à poteſtate præ-*

dicendi diſtinctá. tur, quibus retineantur: nempe credentibus, vitam æternam dandam eſſe; non credentibus, ſempiternam perniciem. Id ſi ita eſt, conſequetur primùm, eos omnes, qui declarare eam Dei voluntatem de peccatis remittendis poſſunt, poſſe quoque peccata remittere, etiam pueros, etiam fæminas, etiam dæmones; quid enim obſtet, quo minus Dei voluntatem in ſcripturis declaratam, ſi velint annuncient? Miſeros Arrianos, qui eam quam Chriſtus ſolis Miniſtris conceſſit dignitatem, in fæminas, & quod dictu horrendum eſt, in dæmones transferunt. ſe ipſos quoque ita abiiciunt, vt à dæmonibus peccatorum remiſſionem ſe conſequi poſſe arbitrentur. Neque enim benè ſuam cauſam tuetur Volkelius, cùm ſolis Apoſtolis hanc poteſtatem conceſſam eſſe affirmat, non aliis Miniſtris; eò quòd Apoſtoli primi omnium, & quidem cum perfecta & exploratiſſima ſcientia, hanc peccatorum remiſſionē promulgarunt; alij verò Miniſtri prædicationem Apoſtolicam ſolùm repetunt. Nam ſi peccatorum remiſſio prædicatione continetur; conſequens eſt, vt ad quos ea prædicatio pertinet, remiſſio quoque peccatorum pertineat. Primò quidem ad Apoſtolos, deinde verò ad alios, qui in prædicandi officio Apoſtolis ſucceſſerunt. Etenim quemadmodum Apoſtoli, & ſi primò prædicarunt, alios tamen qui poſt ipſos prædicaturi erant, à prædicandi munere non excluſerunt: ita neque ab ea, quæ ex prædicatione conſequitur, peccata remittendi poteſtate.

1.

Euaſio Volkelij.

Dæmon Arrianis peccata remittit. Nihil igitur obſtat Dæmonem Arrianis prædicare remiſſionem peccatorum poſſe, & ex ea prædicatione Arrianos à Cacodæmone conſecuturos peccatorum remiſſionem & indulgentiam, in forma Iubilæi ampliſſima, non minùs quàm cùm eandem remiſſionem prædicarent

2. Apoſtoli. Quid? quòd nec Miniſtris opus eſſet; imò ne prædicatione quidem, ad eam, quam iſti fingunt, peccata remittendi rationem. Poſſet enim quilibet abſque Miniſtro ſibiipſi ex ſacris ſcripturis eam Dei voluntatem & decretum repræſentare, ſibique ex conſequenti peccata remittere; quo nil abſurdius dici poteſt. Vt enim baptizare ſeipſum nemo poteſt: ita nec ſibiipſi peccata remittere. Neque verò ſatis facit Volkelius, cùm ait, aliquos ſolertiores Miniſtro non egere ad remiſſionem peccatorum, ſed rudiores duntaxat: quaſi verò ad hoc Dei decretum intelligendum tantùm acumen requiratur, vt à rudiſſimo quoque per ſe intelligi non poſſit. Quid enim creditu facilius, quàm credentes vitam æternam conſecuturos; non credentes, in æternum perituros?

Digitized by Google

ituros? ita vt huius ſolius rei gratia Miniſtrum quærere, & conſtituere non ſit opus. Verùm argumentum non hoc ſolùm vrget, quòd Miniſtrorum ad eam rem neceſſitas penitus tollatur; ſed etiam quod hinc ſequi oportet, poſſe quemlibet, etiamſi ſolertiſſimus non ſit, ſibiipſi peccata remittere, & ſe à peccatorum vinculis abſoluere. Quod vti per ſe abſurdum eſt, ita conuincit manifeſtè, peccatorum remiſſionem non ſola remiſſionis prædicatione contineri.

Quocirca & Apoſtoli non prædicatione remittebant peccata; ſed ſolùm indicabant media à Chriſto inſtituta, ad peccatorum remiſſionem conſequendam. Cùm enim Petrus prædicaſſet remiſſionem peccatorum, in prima ſua poſt acceptum Spiritum ſanctum concione, non illicò illos peccatorum remiſſionem conſecutos pronunciauit, etiamſi prædicationi credidiſſent; ſed pœnitentiam agere iuſſit, & *baptizari vnumquemque in remiſſionem peccatorum.* Acto: 3. 36. Paulo etiam Ananias poſt prædicatam fidem & remiſſionem peccatorum, indicauit Baptiſmi Sacramentum ad peccata abluenda: *Exurge,* inquit, *& baptizare, & ablue peccata tua.* Acto: 22. 19. Si igitur Apoſtolos, & Apoſtolicos viros huius poteſtatis, quam Chriſtus ad peccata remittenda reliquit, interpretes adhibeamus, intelligemus profectò, ſolam remiſſionis prædicationem, non eſſe peccatorum remiſſionem, nec eos qui prædicationi aſſentiuntur, illico conſequi remiſſionem peccatorum; niſi ad Sacramentum Baptiſmi accedant, in quo ex Chriſti inſtituto peccata remittuntur.

3. Apoſtoli prædicatione nō remittebat peccata.

Accedit, quòd Chriſtus certos nos fecit, iis peccata remiſſum iri in cælo, quibus Apoſtoli remiſiſſent in terris. Id ſi de prædicatione remiſſionis intelligatur, inuertetur Chriſti ſententia, & omnis verborum ordo. Non enim quibus homines peccata remiſerunt in terris, Deus remittet in cælis; ſed quibus Deus ante remiſerit in cælis, homines per prædicationem annunciabunt remiſſa eſſe in terris: alioqui falſum annunciarent peccata eſſe remiſſa in terris, niſi ante fuerint remiſſa in cælis. Neque verò Chriſtus dixit, quibus remittenda promiſeritis; ſed quibus remiſeritis: is enim qui ſolùm remittendum promittit, remittere non dicitur.

4. Inuertunt Chriſti verba Arriani.

Diriſſimam autem blaſphemiam Volkelius putat affirmare, quòd Chriſtus ipſe affirmauit, remiſſionem in cælo pendere à remiſſione peccatorum in terra: quaſi Deus à nobis ſuſpenſas actionum ſuarum rationes

Ruditas Volkelij.

tiones

tiones habeat. Anné cum interuentu hominum Deus aliquid facere decernit, priuare ſeipſum poteſtate faciendi dicẽdus eſt; & non potiùs legem, quam ipſe ſuis actionibus præſcripſit, ſequi? Hanc igitur legem cùm in peccatorum quoq; remiſſione conſtituerit, vt quæ remiſſa vel retenta eſſent ab hominibus; eſſent eò ipſa remiſſa & retenta in cælo: quid mirum eſt Deum in ea re à ſua quam ſanxit lege, dependere, & ob legem à ſe latam ſuſpenſas quodammodo à nobis actionum ſuarum habere rationes? Quod ſi hoc blaſphemum videtur Volkelio, quantò magis blaſphemum videbitur, quod de Ioſue imperante ſoli vt conſiſteret legimus, nempe ſolem conſtitiſſe, *obediente Deo voci hominis.* At hoc ingenium Arrianorum eſt, vt in iis rebus blaſphemias timeant, quas veriſſimas eſſe ſcripturæ, & communis Eccleſiæ ſenſus, prædicat: quæ autem horrendæ in Deum blaſphemiæ ſunt, tam ſcripturæ, quàm omnium orthodoxorum ſenſui repugnantes; ea iſti ſingularia fidei & religionis ornamenta ducunt: qualia ſunt illa, quæ in monſtris Arrianorum fuſiùs proſecuti ſumus; de duobus diis colendis, de Chriſto ſemideo, de filio Dei metaphorico, de poteſtate multiplici Chriſto negata, tum ad nos verè redimendos, tum ad peccata remittenda, & alia plurima.

Iam verò ex his quæ à Volkelio hucuſque dicta ſunt, ſatis apparet, Miniſtros Euangelicos poteſtate remittendi peccata, qua Chriſtus ſuos Miniſtros inſtruxit, prorſus carere: tum quòd eam non agnoſcũt, ſed aliam pro ea furtiuam quandam & adulterinam ſubſtituunt: tum quòd etiam ſi maximè agnoſcerent, non habent eos à quibus illam legitimè conſequantur, quos Chriſtus in Eccleſia ſua voluit eſſe Epiſcopos. Quanquam quod ad Miniſtros Arrianos attinet, eos diſertis verbis Volkelius omni poteſtate peccata remittendi deſtitui affirmat & confirmat; vt vel ex eo intelligere liceat, quo loco ſint eiuſmodi Miniſtri habendi, qui nulla ſpirituali poteſtate ſint inſigniti;ſed communi cum cerdonibus, aliiſque è media fece hominibus conditione gaudeant. Hinc verò conſequi neceſſe eſt, Miniſtros Euangelicos, Miniſtros non eſſe, quippe qui Miniſtris conceſſa poteſtate careant. Ridiculus verò eſt Volkelius, cùm in hunc modum poteſtatem peccata remittendi, quam aſſerimus, impugnat: *Si,* inquit, *poteſtas efficientiam remiſſionis & retentionis peccatorum contineret, omninò ſtatuendum eſſet, eos qui hac poteſtate fuerint præditi, re ipſa efficere in hominibus, vt voluntate ſua ea præſtarent, quæ*

Argumentum Volkelij ineptum

rent, quæ neceſſaria ſunt ad remiſſionem peccatorum obtinendam; ſimiliter & illa, quæ eos ab hac remiſſione excludunt. Quod cùm nec Deus ipſe faciat (liberam enim homini voluntatẽ reliquit faciẽdi quodlibet) veriſimile nõ eſt id hominibus conceſſiſſe. Tantùm verò hùic ſuæ ratiocinationi tribuit, vt ſibi rem confeciſſe videatur; quam tamen ſtramineam, & nullius planè momenti eſſe, primæ propoſitionis falſitas demonſtrat. Etenim ſi Deus peccata remittere & retinere poteſt, nulla vi facta voluntati in præſtandis iis, ad quæ vel remiſſio, vel retentio peccatorum conſequitur; cur non etiam homines eadem poteſtate vti poſſint, nulla vi facta hominum voluntati? Faceſſat igitur Volkelius cum talibus argumentis, & aut ſolidiora afferre diſcat, aut prorſus abſtineat.

Examen quartæ Demonſtrationis, ex ſacrificio noui Teſtamenti ductum. CAP: XIV.

Miniſtri legitimi ſunt ſacerdotes offerentes Deo ſacrificium;
Miniſtri Euangelici non offerunt Deo ſacrificium noui Teſtamenti:
Ergo non ſunt Miniſtri legitimi noui Teſtamenti.

STatuendum in primis eſt; quid nomine ſacrificij intelligendum ſit: id enim & ad rei declarationem plurimùm facit, & ad ea refellenda, quæ hîc à Volkelio dicuntur. Eſt igitur in ſacris literis duplex ſacrificium; alterum ſpirituale, alterum externum: & illud quidem actione ſpirituali mentis & voluntatis ad Dei honorem perficitur; quomodo actiones quarumcunque virtutum dicuntur ſacrificia ſpiritualia: Sic oratio dicitur *ſacrificium laudis*, quo Deo vituli labiorum offeruntur. Oſeæ 14.3. Sic contritio & pœnitentia dicitur *ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus*. Pſal: 50. Sic beneficentia & communio dicuntur hoſtiæ, quibus promeretur Deus, Hebr: 13.16. Petrus etiam 1. Petri 2.5. omnes admonet offerre *ſpirituales hoſtias Deo.* Alterum verò non ſpirituali ſola mentis actione, ſed etiam externa perficitur; nec quacunque externa, ſed ea duntaxat, qua in Dei honorem conſumitur, vel immutatur res illa: ſiue id fiat per combuſtionem rei oblatæ, vt in holocauſtis: ſiue per mactationem, vt in hoſtiis: ſiue per quamcunque aliam confectionem, vt in immolationibus & libaminibus. Etenim cùm

Sacrificiũ ſpirituale.

Sacrificiũ externum.

ſacrificium Deo offertur in recognitionem ſummæ ipſius poteſtatis & dominij, tota res illi offertur, & in honorem ipſius inſumitur. Quocirca in ſcriptura diſcrimen inter dona & ſacrificia ſtatuitur, Heb: 5.1. Heb: 8. 3. Neq; enim dona ſacrificari dicuntur, ſed offerri; quia manent integra, & ſolùm quo ad vſum in Dei cultum inſumuntur; dicunturque προσφορα; ea verò quæ ſacrificantur, hoſtiæ dicuntur θυσιαι; quia oblatione conficiuntur, vel immutantur in Dei honorem. Hoc verò eſt inter vtrumque ſacrificium diſcrimen, quòd illud ſpirituali actione, hoc externa perficitur: illud ab omnibus præſtari poteſt & debet; hoc à ſolis ſacerdotibus, qui ad id munus ſingulari ratione *ex hominibus aſſūpti, pro hominibus conſtituuntur*; vt publico totius populi nomine offerant dona & ſacrificia. Hebr: 5. 1. 4. Illud eſt commune omni legi, tam naturali, quàm ſcriptæ & Euangelicæ; internus enim ritus colendi Deum, tum ex natura ipſa, tum ex gratia interna Dei ortū habet, qui eſt omnibus hominum ſtatibus communis: hoc verò aliud atque aliud eſt in alia lege, ita vt rectè intulerit D. Paulus: *Tranſlato ſacerdotio, neceſſe eſt tranſlationem legis fieri.* Diuerſa enim lex, diuerſos ritus externos colendi Deum præſcribit; alios lex Moyſis, alios lex Euangelica.

Inter dona & ſacrificia diſcrimen.

Deus colendus ſacrificio externo.

Statuendum eſt præterea, Deum vtroque ſacrificij genere colendum eſſe; nempe non illo ſolùm quod eſt ſpirituale & priuatum; ſed quod eſt etiam externum & publicum. Quemadmodum enim non ſpiritum ſolùm, ſed & res externas à Deo accipimus; ita eaſdem res debemus in recognitionem diuini dominij, & poteſtatis, Deo per ſacrificium offerre: & quemadmodum non priuati ſolùm homines, ſed & Reſpublica, & cœtus publici tenentur Deum colere: ita & ſacrificiū nomine publico Deo offerre. Quocirca à mundo condito ita ſemper ab hominibus factum videmus, natura quaſi ipſa duce & magiſtra; vt ex rebus à Deo acceptis, externum Deo ſacrificium offerrent. Sic Cain de fructibus terræ obtulit munera Domino: Abel quoque de primogenitis gregis ſui. Gen: 4. 3. Noë de cunctis pecoribus & volucribus mūdis, & alij deinceps. Neque vlla gens fuit tam immanis & barbara, quæ ſacrificio externo Deum ſuum non coleret & veneraretur. In lege quoque ſcripta per ſe manifeſtum eſt, Deum à Iudæis, non ſpirituale modò, ſed etiam externum ac publicum ſacrificium exegiſſe. Idem igitur de lege quoque noua exiſtimandum eſt; vt non ſpirituali ſolùm ratione Deus à nobis colatur, ſed etiam externa & publica; neque ſpirituali ſolùm

Digitized by Google

li ſolùm ſacrificio, ſed etiam externo. Niſi minùs colendus exiſtimetur Deus in lege Euangelica, quàm in lege ſcripta & naturali: aut lex Euangelica ad detrahendum & minuendum Deo honorem, non ad augendum & perfectiorem reddendum inſtituta credatur. Quare vti ſacrificia ſpiritualia in lege noua ſunt longè perfectiora, propter diuinæ gratiæ vbertatem: ita & ſacrificium externum legis nouæ, debet eſſe longè excellentiſſimum ac diuiniſſimum. Etſi enim externum & corporeum ſit; longè tamen externis antiquæ legis ſacrificiis præſtantius: cùm illa carnes taurorum & vitulorum continerent, quibus nihil ſpiritus & diuinitatis ineſſet; hoc verò carnem & ſanguinem filij Dei continet, quo nihil diuinius dici poteſt.

Statuendum & illud eſt: in lege noua, nullum aliud externum & publicum ſacrificium eſſe, quàm corporis & ſanguinis Chriſti; hoc enim ſolum ſcripturæ agnoſcunt, ſolum efficax ad ſalutem prædicant. Ioa: 17. 19. *Pro eis ego ſanctifico me ipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate.* Epheſ: 5. 2. *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo, in odorem ſuauitatis.* Paulus verò in epiſtola ad Hebr. à capite quinto ad decimum vſque, non ſolùm id aſſerit; ſed ex eo probat, neceſſarium fuiſſe Chriſtum nouum ſacerdotem exurgere; quòd cùm omnia alia ſacrificia externa merè carnalia fuerint, & ex conſequenti infirma & inefficacia ad remiſſionem peccatorum, & ſalutem hominibus conferendam: ſolum ſacrificium corporis & ſanguinis filij Dei, cùm ſit res diuiniſſima, habet eam vim, vt ſanctificare homines poſſit, & vita æterna donare. Concedit quidem ſcriptura varia ſacrificia ſpiritualia, quæ ſunt actiones virtutum: at externum & publicum ſacrificium, nullum aliud concedit, quàm ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti. Etenim legis nouæ ſacrificium ex doctrina Pauli, Hebr: 7. 18. debet eſſe non imperfectum, non infirmum, non inefficax ad peccata tollenda, & vitam æternam largiendam; vti fuerunt ſacrificia legis, ob quam etiam cauſam reprobata ſunt. Nulla verò alia res externa, præter corpus & ſanguinem Chriſti eam vim habet, vt emundare conſcientiam *poſſit ab operibus mortuis, & ſeruiendum Deo viuenti.* Hebr: 9. 14. alioqui ſi per alia ſacrificia poſſet contingere ſalus & conſummatio, non fuiſſet neceſſarium Chriſtum exurgere ſacerdotem, vti Heb: 7. 16. Paulus argumentatur.

Solum ſacrificium corporis Chriſti, eſt ſacrificium externum in lege noua.

Porrò in cælone an in terra Chriſtus hoc ſuum ſacrificium obtulerit,

Chriſtum in cruce ſacrificaſſe negant Arriani.

lerit, in dubium hac noſtra ætate reuocarunt Arriani. Auſi enim: ſunt aſſerere, quod nullus Chriſtianorum aſſeruit vnquam, Chriſtum in cruce non obtuliſſe vllum ſacrificium, ſed in cælo duntaxat; idque non alia ſacrificandi ratione, præterquàm *aſſiſtendo ſolùm & interpellando pro nobis.* Ad quam rem ſe induci aiunt authoritate Pauli, Heb: 8. 4. *Si,* inquit, *Chriſtus eſſet ſuper terram, nec eſſet ſacerdos; cùm eſſent qui ſecundùm legem offerrent munera.* Quod illi tam craſſè intelligunt, vt exiſtiment Paulũ negare omne Chriſti in terra ſacrificium. quod Paulus non ſolùm non aſſeruit, ſed etiam disertè aliquot ante lineas docuit: *Chriſtum ſemel ſeipſum hoſtiam obtuliſſe.* Heb: 7.27. quod nonniſi de hoſtia & oblatione in cruce facta intelligi poteſt. Nam illam quæ in cælis eſt, non ſemel, ſed quotidie fieri & repeti, ipſimet aduerſarij docent. Expreſſè verò loco citato aſſerit, id quod alij ſacerdotes facere ſæpiùs ſolent, hoſtias pro ſuis & populi peccatis offerendo, hoc ſemel tantum Chriſtum feciſſe, ſeu ſemel ſeipſum hoſtiam in cruce obtuliſſe. Quod idem Apoſtolus ad Eph: 5. 2. aliis verbis declarat: *Tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo.* Nam & verbum tradendi, eam traditionem, qua ſe ad mortem tradidit pro nobis, denotat, (hoc enim ſenſu ſemper Chriſtus in ſcriptura pro nobis dicitur traditus) & modus quo ſemetipſum tradiderit, explicatur; nempe *oblationem & hoſtiam Deo.* In cruce igitur fuit Chriſtus hoſtia & oblatio Deo, morſque eius fuit verum ſacrificium. Idem clariſſimè non ſolùm docet, ſed & ratione confirmat, Heb: 9. 25. cùm ait: *Chriſtum in cælum introiſſe*, non vt ſæpè offerat ſemetipſum, vt legales Pontifices, alioquin *oportebat,* inquit, *eum frequenter pati ab origine mundi: nunc autem ſemel in conſummatione ſæculorum, ad deſtitutionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit.* Et quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium, ſic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata. Quibus Pauli verbis ea ratio continetur. Si Chriſtus ſæpiùs ſe offerret, neceſſe eſſet ipſum ſæpiùs mori: cùm verò ſemel duntaxat Chriſtus mori debuerit; cõſequens eſt ipſum ſemel tantùm per mortem ſe obtuliſſe. Quod ſi mors ad eſſentiam ſacrificij non pertineret; non eſſet neceſſe illum toties mori, quoties ſe offerret: ſemel enim morte obita, poſſet idem ſacrificium non ſolùm ſemel offerre, ſed etiam quoties vellet repetere; cùm eiuſmodi ſacrificium ſupponatur eſſe à morte diſtinctum, & non niſi poſt mortem multò poſt oblatum.

Iam

Digitized by Google

Iam verò malè intellecta verba Pauli, impulerunt iſtos homines in errorem. Cùm enim Paulus de Chriſto ait, *ſi eſſet ſuper terram, nec eſſet ſacerdos*: non eo ſenſu id accipit, quaſi ſi in terra ſacrificaret, non eſſet ſacerdos (nam etiam illi qui in terra ſacrificabant in veteri lege, erant veri ſacerdotes) ſed nomine ſacerdotis ſuper terram, intelligit eum, qui terrenus tantummodo eſt, & nullo modo cæleſtis; quales erant Leuitici ſacerdotes, qui idcirco erant terreni ſacerdotes, quia terrenas res, non cæleſtes, ſed vmbras & figuras cæleſtium offerebant, & in terra tantùm, non etiam in cælo munere ſacerdotali fungebantur. Si igitur Chriſtus hoc modo eſſet ſuper terram, id eſt terrenus ſacerdos; nec eſſet ſacerdos, id eſt non eſſet neceſſarium vt eſſet ſacerdos; quia ad terrena ſacrificia ſufficerent alii ſacerdotes legales, qui exemplari & vmbræ deſeruiebant cæleſtium. Quam explicationem ipſemet Paulus verbis ſequentibus adiungit: *Eſſent enim*, inquit, *qui offerrent ſecundùm legem munera, qui exemplari & vmbræ deſeruiunt cæleſtium*; ac ſi diceret, ſufficerent legales ſacerdotes ad legalia ſacrificia, quæ non ſunt cæleſtia, ſed ſolùm vmbra cæleſtium. Quæ verò ex capite 9. Hebr: pro ſua ſententia afferunt, ea nihil veri continent, & à nobis in Monſtris Arrianiſmi refutata ſunt.

Quid ſit eſſe Sacerdotem ſuper terrā.

Verùm enimverò vti negari non poteſt, Chriſtum in cruce ſacrificâſſe: ita cum Paulo ad Hebr: 8. 3. aſſerendum eſt: Chriſtum in cælis habere quod offerat, *eſſeq; in cælis ſacerdotem in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*; id enim potentiſſimè vrget D. Paulus Hoc autem aliter intelligi non poteſt, niſi quòd ſacrificium corporis & ſanguinis ſui, quod ſolum eſt nouæ legis ſacrificium, ſub ſpecie panis & vini à ſe inſtitutum, quotidie conficit & offert Deo, aſſiſtens vultui Dei, & interpellando pro nobis: in quo & Melchiſedechiani ſacrificij forma, & vera ſacrificij ratio, & æternitas ſacerdotij Chriſti apparet; vti in Nodo Gordio planum fecimus.

His itaq; conſtitutis, non eſt difficilè intelligere, quàm longè à vera Miniſtrorum ratione abſint Euangelici, qui eam miniſterij partem, quæ in offerendo externo noui teſtamenti ſacrificio poſita eſt, nec habent, nec agnoſcunt, cùm tamen ſine ſacrificio externo religionem conſiſtere non poſſe, paulò ante demonſtratum ſit.

Ait Volkelius, non poſſe vllo ſcripturæ teſtimonio comprobari, Chriſtum à ſacerdotibus in terra offerri debere: cùm ex Epiſtola ad

Hebr. ſatis conſtare dicat, Chriſtum non in terra, ſed in cælis, non ab aliis, ſed ſeipſo offerri.

Teſtimonium Malachiæ de ſacrificio incruento.

At nos manifeſtis ſcripturæ teſtimoniis in Nodo demonſtrauimus Chriſtum in terra, imò vbiq; terrarum per manus ſacerdotum Deo offerendum eſſe. Ita enim futurum Deus ipſe apud Malachiam pollicetur, cap: 1. 10. vbi reſpuens ſacrificia Iudæorum, vt immunda, prædicit oblationem mundam vbique terrarum ſibi offerendam in gentibus. *Non eſt,* inquit, *mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis vſq; ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in gentibus.* En oblationem noui teſtamenti, quam à ſolis ortu vſque ad occaſum, in omni loco, in gentibus ſacrificari & offerri Deo neceſſe eſt. Cùm igitur non ſit alia oblatio noui teſtamenti, quàm corporis & ſanguinis Domini; conſequens eſt hanc in omni loco, & vbique terrarum ſacrificari & offerri debere Deo.

Errat Volkelius.

Neque enim ferendus eſt Volkelius, cùm ait citra vllam ſcripturæ authoritatem aſſeri, oblationem Chriſti eſſe aliquod corporis ſanguiniſque ſacrificium. Vt enim alia non commemorem, nonné Paulus diſertè docet: *Nos ſanctificatos eſſe per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel?* Hebr: 10.10. Multò minus verò ferendum eſt, quod ait Chriſtum in cælis carnem & ſanguinem non habere, quæ offerri poſſint; *quia caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt.* 1. Cor: 15.50. Nam & Paulus eo loco, nomine carnis & ſanguinis, non naturam carnis, ſed homines carnales, id eſt carni deditos, qui portent imaginem terreni hominis non cæleſtis, intelligit: & Chriſtus in cælo etſi carnem mortalem non habeat, habet tamen immortalem & glorioſam. Alioqui quomodo nunc carnem Chriſti manducare, & ſanguinē Chriſti bibere poſſemus, ſi Chriſtus modò carnem & ſanguinem non habet? quomodo ſanguis Ieſu Chriſti in cælo emundat nos ab omni iniquitate, ſi ſanguis non eſt? Et verò Paulus Hebr: 9. figuram Pontificis legalis vrget, *qui in ſancta ſanctorum, non ſine ſanguine, quem eò inferret, & offerret, intrabat:* concluditque Chriſtum ſimiliter non ſine ſanguine ſuo in ſanctuarium cæleſte illato & oblato, intrare debuiſſe. Habet igitur ſanguinem Chriſtus nunc in cælis regnans. Quid quòd Chriſtus carnem ſuam glorioſam, carnem appellat? ita enim ſuos diſcipulos poſt reſurrectionem alloquitur: *ſpiri-*

Chriſtum in cælo carnem habere negant Arriani.

tus

tus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Etſi enim aliquando in ſcriptura caro pro carne mortali & corruptibili ſumatur: tamen aliud eſt carnis natura & eſſentia, aliud ipſius mortalitas & corruptio: ita vt ſi mortalis eſſe deſinat, non illicò debeat deſinere caro. Si enim Paulus 1. Cor: 15. 53. docet: *Oportere corpus hoc corruptibile induere incorruptionem, & mortale induere immortalitatem*; non quòd naturam corporis amittat, ſed quòd perfectionem incorruptibilitatis & immortalitatis acquirat: quidni eodem modo de carne mortali & immortali cum Apoſtolo philoſophemur?

Iam verò cùm Volkelius oblationem mundam, quæ in omni loco Deo offertur, interpretatur ſacrificia ſpiritualia fidelium, hoc eſt preces, gratiarum actiones, & ſimilia: an non manifeſtè ſcripturis repugnat? Etenim oblatio munda illa intelligenda eſt, quæ in locum ſacrificiorum legalium ſucceſſit: reiicit enim ibi Deus ſacrificia legis veteris, vt nouæ legis ſacrificium ſtatuat. Atqui ſecundùm ſcripturas ſacrificiis legalibus non aliud ſucceſsit ſacrificium, niſi ſacrificium Chriſti. Id ita eſſe, docet manifeſtè D. Paulus ad Hebr: 10. 5. cùm Chriſtum loquentem inducit: *Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi: tunc dixi, Ecce venio.* Quod ita ibidem D. Paulus interpretatur: *Quia,* inquit, *hoſtias & oblationes, & holocautomata pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi, quæ ſecundùm legem offeruntur*; Tunc dixi: Ecce venio, vt faciam voluntatem tuam. Aufert primum, vt ſequens ſtatuat. En Paulus ex Pſalmo Dauid 15. demonſtrat in hūc finem ſacrificia Iudaica eſſe oblata, vt ſequens Chriſti ſacrificiū ſtatueretur, & in eorū locū ſuccederet.

Chriſti ſacrificium ſucceſſit legalibus ſacrificiis.

Quod etiam ratione in hunc modum oſtendi poteſt. Cùm enim propter imperfectionem illa ſacrificia ſublata ſint, quòd perfectos facere, & à peccatis mundare homines non poſſent, vt ibidem verſu 1. & 2. commemorat Paulus; conſequens eſt tale, ſacrificium illis ſuccedere debuiſſe, quod & perfectos facere, & à peccatis mundare homines poſſet; alioquin ſi imperfectum aliud ſacrificium ſuccederet, non eſſet ratio cur illa priora auferrentur. Porrò eiuſmodi ſacrificium, quod perfectos homines facere, & à peccatis mundare poſſit, nullum aliud eſt, aut eſſe poteſt, quàm Chriſti ſacrificium. Nullum igitur aliud ſacrificium illis legalibus ſacrificiis ſucceſſit, niſi ſacrificium Chriſti. Non igitur ſacrificia ſpiritualia fidelium in locum legalium ſucceſſerunt, vt imperitè aſſerit Volkelius. Nam hæc neque eiuſmodi ſunt ſecundùm

Digitized by Google

cundùm aduerſarios, vt nos perfectos facere, & à peccatis abluere poſſint; neque ideò illa legalia ablata ſunt, vt ſacrificia ſpiritualia ſuccederent; ſed vt Chriſti ſacrificium ſuccederet. *Aufert*, inquit, *primum, vt ſequens ſtatuat*. Sacrificia igitur Chriſtianorum ſpiritualia, ſuccedunt ſacrificiis ſpiritualibus Iudæorum; ſacrificiis verò Iudæorum legalibus & externis, ſuccedit ſolum ſacrificium Chriſti. quod idcircò dicitur apud Malachiam oblatio, quia vna eſt in omni loco: idem enim Chriſtus ſub ſpecie panis & vini vbiuis gentium offertur in altari. Dicitur oblatio munda, quia efficax ad nos mundandos ab omni iniquitate. Non eſt igitur quod nobis opponat Volkelius, ſacrificium Chriſti in cælo tantùm, & non in terris peragi debere, & à Chriſto tantùm, non etiam ab aliis ſacerdotibus. Vtrumque enim Malachiæ teſtimonio luculentiſſimè refellitur; cùm ſatis ex eo conſtet, illud & in terris, & vbiuis locorum offerri ab hominibus debuiſſe.

Chriſtus in terra ſeipſum per manus Miniſtrorum offert.

Neque verò ſi Paulus in epiſtola ad Hebr. Chriſtum in cælo offerentem facit, illicò ſequitur, Chriſtum in terris non offerri. Nos enim vltrò fatemur, Chriſtum in cælis regnantem, ſacrificium hoc à ſe inſtitutum in terris, & conficere, & Deo per ſeipſum offerre: vt enim benè notat D. Ambr: 4. de Sacramentis, cap: 4. *Cùm venitur, vt conficiatur venerabile Sacramentum, iam non ſuis ſermonibus ſacerdos, ſed vtitur ſermonibus Chriſti.* Quocirca noſtrum ſacrificium meritò eſt ſacrificium Chriſti, ipſius inſtitutione, mandato, verbis, & poteſtate confectum. Et quidem Paulus vocat Chriſtum Pontificem ſeu ſummum ſacerdotem, ἀρχιερέα; inſinuans ita ſacerdotem, vt alios ſacerdotes inferiores miniſtros habeat, quorum miniſterio in ſuo vtatur officio. Nullus enim ſummus ſacerdos dici poteſt, niſi reſpectu ſacerdotum inferiorum. Homines igitur in hoc ſacrificio celebrando, Miniſtri duntaxat ſunt & inſtrumenta, non præcipuæ cauſæ: ipſe verò Chriſtus eſt ſummus Sacerdos, & præcipua ſacrificij cauſa.

Conſimili ratione, cùm opponit Volkelius, non rectè aſſeri vnicam tantùm eſſe noui teſtamenti oblationem, quum etiam oblationes ſpirituales ſint oblationes noui teſtamenti; aduertere debuit ſermonē eſſe non de quacunque oblatione, ſed de externa duntaxat & publica, quæ in locum legalium ſacrificiorum ſucceſſerit: qualem in nouo teſtamento neceſſe eſt, non aliam eſſe, quàm Chriſti oblationem: ſpirituales verò oblationes laudis diuinæ, & gratiarum actionis, cōmunes

ſunt

Digitized by Google

ſunt omnium ſtatuum, ac ad omnem legem æquè ſpectant, tam naturæ, quàm ſcriptam & Euangelicam; & ſi in lege Euangelica propter maiora Dei beneficia, & gratiam Spiritûs ſancti copioſiorem, ſint longè excellentiores.

Chriſtus ritu Melchiſedechiano ſacrificauit.

Iam verò non ex Malachiæ ſolùm vaticinio demonſtramus nouæ legis ſacrificium, quod à ſacerdotibus nouæ legis offerri oporteat; ſed etiam ex ipſa ratione ſacerdotij Melchiſedechiani. Nemini enim dubium eſt Chriſtum eſſe ſacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech, vt & à Dauide in Pſal: 109.4. aſſeritur, & à Paulo in cap: 5. 6.7. ad Heb: exponitur. Dicitur autem ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, non ſolùm quòd perſonâ Melchiſedechi repræſentatus ſit; ſed præcipuè quòd ritum ſacrificandi Melchiſedechianum in ſuo ſacrificio expreſſerit. Ordo enim & ritus ſacerdotij præcipuè ad ſacrificiũ refertur, & magis in ſimilitudine officij ſacerdotalis, quàm in perſonæ ſimilitudine poſitus eſt. Cùm igitur ritus ſacrificij Melchiſedechiani is fuerit, vt panem & vinum offerret Deo: eodem quoque ritu Chriſtus ſacrificare debuit. Cuius ſacrificij cùm homines quoque fecerit participes, ipſiſque mandauerit, vt *id facerent ſemper in eius commemorationem*: quis dubitare poterit Miniſtros noui teſtamenti, huius etiam ſacrificij Miniſtros eſſe? cuius miniſterij cùm nullam partem habeant Euangelici, an non conſequens eſt, ipſos Miniſtros legitimos non eſſe?

Cur Chriſtus per Miniſtros ſeipſum offerat.

Neq; enim ſatis eſt, vt vult Volkelius, ſi Chriſtus per ſeipſum, offerat ſeipſum: non enim idcirco Miniſtros in ſacrificio adhibet, quòd non poſſit, ſed quòd nolit, niſi ipſorum interuentu offerre, & tanquam ſummus ſacerdos, inferiorum ſacerdotum miniſterio vti conſtituit. Quod etiam in rebus naturalibus Deus facit; vt cùm omnia poſſit per ſeipſum facere, adhibeat tamen cauſas ſecundas, earumque concurſu & miniſterio res naturales producit & gubernat. Accedit quòd duplex ratio ita fieri poſtulat, vt corpus Chriſti à fidelibus in terra offeratur. Altera homines reſpicit, altera Chriſtum ipſum. Nam homines in nouo teſtamento habere oportet publicum & externum ſacrificium (præter interna & ſpiritualia) quo & Deus excellentiſſima ratione colatur, & honoretur ab hominibus: & homines, quæ à Deo maxima beneficia acceperunt, in eius honorem ipſa offerrent; vt & in naturæ lege, & in ſcripta obſeruatum eſt. Quocirca cùm ſummum Dei donum ſit, quod in Euchariſtia datur à Chriſto hominibus, corpus nimirum & ſanguis

ipſius, id ipſum Deo per ſacrificium in altari refunditur, vt quæ de manibus eius accepta ſunt, in authorem bonorum omnium referantur. Ni id ita fiat, & Deus præcipuo honore, qui in ſacrificio eſt, priuaretur; & religio Chriſtiana eſſet in hac parte Iudaica inferior, quòd huic non defuerit publicum religionis ad Deum iugiter honorandum & colendum ſacrificium; religioni autem Chriſtianæ deeſſet. Ad Chriſti etiam ſummi ſacerdotis dignitatem pertinet, ſuorum Miniſtrorum opera & miniſterio vti, quibus vti commiſit in terris corporis ſui & ſanguinis tractanda myſteria; ita & Deo offerenda. Etiamſi enim ſacrificio, quod cruentè in cruce peregit, omnem gratiæ vim hominibus promeruit: ita vt alio ſacrificio ad promerendum non ſit opus, *cùm vna oblatione conſummauerit in perpetuum ſacrificatos.* Hebr: 10. tamen cùm ex hoc ſacrificio non ſtatim fructus & effectus in homines dimanet, niſi per certa media applicetur: inſtituit hoc diuiniſſimum ſacrificium, quo maximè omnis fructus illius in cruce peracti ſacrificij applicaretur, tantoque magis, quòd hoc idem ſit cum illo, & eundem Chriſtum, licet alio atque alio modo, contineat.

Neceſſitas ſacrificii externi.

Reſpondet in primis Volkelius. Chriſtum dici ſacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech; non quòd ſecundùm ritum Melchiſedechi ſacrificauerit; ſed quòd nec originem, nec terminum habeat ſacerdotalis muneris, ſicut & Melchiſedech. Idcircò dicitur ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, nec initium dierum, nec finem vitæ habens; quòd iſta in ſcriptura taceantur: vt ea ratione Chriſtum repræſentaret, qui in munere ſacerdotali nec alteri ſucceſſit, nec alterum ſucceſſorem habuit.

Prima Volkelii expoſitio.

Verùm duplex hic Volkelij lapſus eſt. Nam in primis exiſtimat Chriſtum ea ſolùm ratione dici ſacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech, quòd in origine & termino ſacerdotij habeat cum illo ſimilitudinem. Eſto ſanè, quòd ita ſit: aio nullo modo id ad ordinem ſacerdotij Melchiſedechiani ſatis eſſe. Primùm, quòd ea ſimilitudo Chriſto eſt cum multis aliis præter Melchiſedechum communis: neque tamen idcirco ſecundùm ordinem illorum dicitur eſſe ſacerdos. Nam ſi Melchiſedech idcirco dicitur eſſe ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, nec initium dierum, neque finem vitæ habens; non quòd iſta non habuerit, ſed quòd iſta non recenſeantur de illo: etiam Iobi & Heliæ ſacerdotũ genealogia non deſcribitur, vt Epiphanius oſtẽdit hæreſi 55.

Ordo Melchiſedechianus in quo conſiſtat.

neque

neque tamen idcirco dici poteſt Chriſtus ſacerdos ſecundùm ordinem Iobi & Heliæ. Cùm igitur hæc & communia ſint Melchiſedecho cũ aliis, non propria, & præterea ſunt extrinſeca ſacerdotio, non poteſt illorum præcipuè reſpectu dici Chriſtus ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech. Similitudo enim ſpectari proculdubio debet ſecundũ ea quæ ſunt propria & intrinſeca rei, non quæ ſunt illi cum aliis communia, & ad intrinſecam rei rationem non ſpectant. Porrò alia omnia præter ſacrificij ritum, ſunt communia Melchiſedecho cum aliis ſacerdotibus. Sacerdos enim per ſe & propriè eſt propter ſacrificiũ; alij enim actus à ſacrificio diſtincti, poſſunt etiam non ſacerdoti conuenire: actus verò ſacrificij non niſi ſacerdoti. Quare & ex diuerſa ſacrificij ratione, diuerſus ſacerdotij ordo colligendus eſt. Alioqui ſi quæcunq; ſimilitudo ſufficeret, non minus dici poteſt Chriſtus ſacerdos ſecundũ ordinẽ Aarõ, quàm ſecũdũ ordinẽ Melchiſedech. Nam ei⁹ cũ Aaronico Põtifice ſimilitudinẽ multis vrget D. Paulus ad Heb: 9. Quod verò Paulus cõparans Melchiſedechũ cum Chriſto eorum tantùm meminit; non propterea facit, quòd iis omnis ſimilitudo Melchiſedechi cum Chriſto cõtineatur; ſed quòd ea ſimilitudo reuera eſt inter Chriſtũ & Melchiſedechũ, & ea tantùm ſatis erat ad id, quod tunc Paulus intendebat demonſtrandum. Iudæi enim cùm ſacerdotium Aaronicum nimis extollerent, Paulus ſacerdotem Melchiſedechianum oſtendit eſſe Aaronico multò excellentiorem, idque ex typo ipſius Melchiſedech, qui ſi perſonam ſpectes, erat in figura rex pacis, rex iuſtitiæ, ſine patre, ſine matre, vt ita Filio Dei aſſimilaretur: qui etiam & Abraham benedixit, & ab eo decimas accepit, imò & à Leui, in lumbis eius exiſtente, à quo originem traxerunt Aaronici ſacerdotes. Quæ perſonæ ipſius dignitas & præſtantia, ſufficiebat tunc Paulo ad præferendum ſacerdotem, & ſacerdotium Melchiſedechianũ Aaronico. Porrò ipſe Paulus cap: 5. 11. disertè proponit, ſe non omnia proſecuturum, quæ ad ſimilitudinem Melchiſedechi & Chriſti pertinent, quòd & id explicatu difficile eſſet, & ab auditoribus minimè caperetur, *de quo,* inquit, *nobis grandis ſermo & ininterpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum.*

Pauli mens.

Alter lapſus Volkelij eſt, quòd typum Melchiſedechi non rectè accommodat Chriſto. Paulus enim in eo Melchiſedechum dicit aſſimilatum Filio Dei, quòd fuit *ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens*; ex quo deinde infert æternitatem ſacer-

Quomodo Chriſtus ſine Patre ſine Matre.

dotij vtriuſque, Melchiſedechi quidem figuratè, Chriſti autem verè & re ipſa. Vult igitur Paulus Chriſtum ob typum Melchiſedechi, eſſe ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, ſine initio dierum & fine vitæ; non quidem eo ſenſu quo Melchiſedecho iſta competunt (cóſtat enim deſcriptam eſſe Chriſti genealogiam) ſed quòd verè Chriſtus ſit ſine patre, quoad humanam generationem; ſine matre, quoad diuinam; & ſine genealogia, ſimiliter nec initium dierum habet, diuinæ naturæ reſpectu, neque finem vitæ. Porrò ex hoc vltimo quòd Melchiſedech inducatur tanquam finem vitæ non habens, infert Paulus, manere illum ſacerdotem in perpetuum; qui enim finem vitæ non habet, ſacerdos eſt in perpetuum, in eoque ait eſſe aſſimilatum Chriſto, qui debuit eſſe ſacerdos in perpetuum. Alia verò quæ ex typo Melchiſedechi commemorat, licet Chriſto conueniant; tamen à Paulo ad officium ipſius ſacerdotale non applicantur, nec applicari poſſunt; cùm ſolùm perſonæ ipſius dignitatem repræſentent. Quomodo enim initium dierum non habere, ad ſacerdotium pertinet; cùm manifeſtum ſit Chriſtum ſacerdotij ſui initium habuiſſe? Similiter quòd ſit ſine patre, ſine matre, ſine genealogia; ea ad Chriſti ſacerdotium non ſpectant, ſed ad perſonæ ipſius exiſtentiam: Chriſtus enim naturæ humanæ reſpectu ſacerdos eſt: ſic autem & matrem, & genealogiam, & anteceſſores habuit, neque ex eo ſolo ſequitur Chriſtum nulli in ſacerdotio ſucceſſiſſe. Quo ad Diuinam autem generationem, nec matrem habet, nec genealogiam, nec anteceſſores vllos: verùm ſecundùm naturam diuinam Chriſto ſacerdotium non competit: quocirca ea Chriſti dignitas ad ſacerdotium referri non debet.

Nego igitur Volkelio typo Melchiſedechi deſignari, Chriſtum nulli in ſacerdotio ſuccedere: cùm ſatis conſtet, iſta quæ commemorantur longè aliò ſpectare, & ad ſacerdotium non ſpectare. Pauluſq; vltimam ſolummodo typi partem ad æternitatem ſacerdotii Chriſti applicat: quia nimirum vti Melchiſedecus finem vitæ non habens, & ex conſequenti ſacerdos perpetuus inducitur; ita Chriſtus finem vitæ non habet, & ex conſequenti eſt ſacerdos in æternum. Aliæ verò typi partes, neque ſacerdotio ſeruiunt, nec à Paulo eo fine commemorantur. Diuinam potius generationem, & eam quæ ante omne æuum eſt æternitatem Filii Dei, quam pertinaciſſimè Arriani inficiantur, typus iſte ſignificat, vt à nobis alibi demonſtratum eſt.

Ait præ-

Digitized by Google

Ait præterea Volkelius, Melchiſedechum panem & vinum ſacrificaſſe, & nunquam cruentum ſacrificium obtuliſſe, nullo ſacro teſtimonio comprobari poſſe. Nam quod ex Geneſi adducitur, *Melchiſedech rex Salem, proferens panem & vinum (erat enim Sacerdos Dei altiſſimi) benedixit ei*: Parentheſis illa, ad benedictionem, non ad prolationem panis referenda eſt, per eamq; ratio benedictionis redditur, non prolationis panis. Verùm Melchiſedechum, panem & vinum ſacrificaſſe ex illo Geneſis loco, tum veteres Rabini Iudæorum, tum communis omnium Patrum Latinorum Græcorumq; conſenſus euidenter conuincit: ita vt ſumma ſit iſtorum hominum temeritas, qui ea quæ omnibus ſæculis ab omnibus credita ſunt, nouis interpretationibus detorquere audeant. Neque verò neceſſe eſt illam parentheſim ad benedictionem referri, cùm non ſit neceſſarium benedictionem à ſolis ſacerdotibus fieri. Nam & illos qui in aliqua dignitate conſtituti fuerant, etſi ſacerdotes non eſſent, legimus aliis benedixiſſe; vt de Salomone, qui Sacerdos non erat, manifeſtum eſt 3. Reg: 8. & de Dauid 2. Regum 6. Paulus etiam cùm Hebr: 7.6. huius benedictionis meminit, non id pro cauſa affert, quòd Melchiſedech ſacerdos eſſet, ſed abſolutè quòd maior, *ſine vlla*, inquit, *contradictione quod minus eſt à meliore benedicitur*. Accedit, quòd etiam Abraham ſacerdos erat; non igitur pro cauſa benè afferri poterat, quòd Melchiſedech, quia ſacerdos erat benedixit Abrahæ. Non enim quia ſacerdos, ſed quia maior ſacerdos erat, benedicere poterat Abrahamo. Si verò ea parentheſis ad prolationē panis referatur, optimè omnia accōmodantur. Sacerdotis enim eſt panem & vinum ſacrificatum & oblatum Deo proferre, & aliis impartiri. Neque Melchiſedech vt rex, panem profanum protulit Abrahamo; ſed vt ſacerdos, panem ſacrum & Deo prius oblatum, tanquam rem ſacram largitus eſt: maximè cùm Abraham pane communi non egeret, reuerſus è bello cum ingenti rerum omnium, etiam ad victum pertinentium præda. Simili ratione ſancti Patres concludunt: quòd cùm neceſſe fuerit ad intelligendum ſacrificium Chriſti ſecundùm ordinem Melchiſech, ritum ſacrificij ipſius explicari, iſque in ſcriptura ſolus explicatus eſt, qui in panis & vini ſacrificio conſiſtit; conſequens eſt alium ſacrificandi ritum Melchiſedecho non fuiſſe.

Locus Geneſis exponitur de ſacrificio Melchiſedech.

Tandem Volkelius ait, Chriſtum per ſeipſum in cælo offerre ſeipſum, non per manus Miniſtrorum, nec ſub panis & vini ſpecie. At erratur-

Digitized by Google

Neceſſe eſt Chriſtum in terra per manus ſacerdotum ſacrificare.

rat turpiſſimè. Primùm quòd, vt rectè Paulus argumentatur, tranſlato ſacerdotio, neceſſe eſt legis quoque tranſlationem fieri; ſi igitur ſacerdotium legis Chriſtianæ eſt tranſlatum in cælum, ita vt nullum eius miniſterium ſit relictum in terra; legem quoque Euangelicam in cælum tranſlatam eſſe oportebit aſſerere. Accedit, quòd niſi Chriſtus in cælo exiſtens, panem & vinum per manus Miniſtrorum offerat Deo; non erit verè ſacerdos, nec habebit quod verè & propriè offerat, contra doctrinam Pauli ad Hebr: 8. 3. vbi diſertè docet, omnem Pontificem ad offerendum munera & hoſtias conſtitui; *vnde neceſſe eſt,* inquit, *& hunc habere quod offerat.* Si enim ſolùm preces offerat, non erit hoc proprium, ſed ſpirituale ſacrificiũ, neq; talis ſacrificij cauſa Chriſtum oportet eſſe ſacerdotem, cùm id à quouis etiam non ſacerdote præſtari poſſit. Similiter ſi ſeipſum & ſacrificium crucis Patri pro nobis repræſentet; id etiam eſt ſpirituale ſacrificiũ, actione ſpirituali perfectum, & à quouis non ſacerdote, tale ſacrificium offerri poteſt, offerturque de facto ab omnibus fidelibus; neque Chriſtum propterea oportuit creari ſacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech. Neceſſe eſt igitur fateri Chriſtum habere aliquam victimam, quam offerat Deo ſemper. alioqui nõ erit ſacerdos in æternum, ſi non habeat quod offerat; cùm non propter ſacrificia ſpiritualia factus ſit ſacerdos, ſecũdùm ordinẽ Melchiſedech.

Chriſtus in Cæna inſtituit ſacrificium nouæ legis.

Sed iam ad Chriſti inſtitutionem veniamus, quem in cæna hoc ſacrificium inſtituiſſe & faciendum præcepiſſe, ex eo conſtat, quòd tum corpus ſuum & ſanguinem, non ſolùm Apoſtolis dederit ad manducandum & bibendum, ſed etiam pro Apoſtolis Deo in remiſſionem peccatorum obtulerit. Et quidem Apoſtolis dabat vt Sacramentum; Deo autem vt ſacrificium. Vtrumque enim expreſſis verbis affirmauit. Nam dicendo, *Accipite & manducate*; dare ſe Apoſtolis indicabat: adiungendo verò: *Quod pro vobis datur. Qui pro vobis effunditur*; oſtendebat ſe corpus & ſanguinem pro nobis offerre Deo. Ait quidem Volkelius non inſolens eſſe in ſcriptura præſens accipi pro futuro; ſed aduertere debuit, vti in Nodo ſatis demonſtratum eſt, non quibuſcunque verbis Chriſtũ vſum eſſe, ſed iis quæ in cœna, non in cruce fieri oblationem illam deſignarent. Nam apud Paulum habetur: hoc eſt corpus quod pro vobis frangitur *κλώμενον*, quod ſub ſpecie panis, corpus pro nobis frangi deſignat: in cruce enim non frangebatur. Eſtque alluſio, vt omnes notant, ad panem, cuius eſt proprium frangi. Apud Lucam verò calix pro nobis

effundi

effundi, quod certè de ſanguine in cruce effuſo intelligi non poteſt: is enim neque in calice erat, ſed in corpore Chriſti; neque ex calice, ſed ex corpore Chriſti effundebatur. **τοῦτο τὸ ποτήριον, τὸ ὑπερ ὑμῶν ἐκχυνόμενον.** Quod argumentum etſi expreſſè in Nodo propoſitum eſſet; Volkelius tamen, cùm quod reſponderet non haberet, prudens illud vt pleraque alia diſſimulauit.

Iam verò cùm S. Paulus 1. Cor: 10. menſam Domini menſæ dæmoniorũ opponit, calicem Domini calici dæmoniorũ; indignè fert Volkelius menſam Domini exponi altare. Quando enim Chriſtus cœnam inſtituit, non altari, inquit, ſed menſæ accubuit. Verùm ſi Volkelius negat in ſcriptura menſæ nomine altare intelligi, rudẽ ſe oſtendit: quam ruditatem vt deponat, legat Malachiæ 1.7. Iſaiæ 65. 15. Prouerb: 9. 2. Si verò hoc duntaxat loco altare intelligendum neget; ſanè id falſum eſſe oppoſitio ipſa indicat. Sicut enim menſa dæmoniorum illa intelligitur, in qua dæmonibus offerebatur: ita & menſa Domini intelligenda eſt, in qua Domino offertur. quod idem dicendum eſt de calice Domini. Neque ratio quam affert aliquid habet momenti: illa enim eadẽ menſa, & reſpectu cœnæ menſa, & reſpectu ſacrificij altare meritò dici poteſt; niſi fortè ad altare requirat antependium.

Menſa Domini altare.

Conſimili ratione quod Paulus Hebr: 13. 10. de altari huius diuiniſſimi ſacrificij ſcribit: *Habemus altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo non deſeruiunt*: id nullo modo de altari Euchariſtiæ intelligendum putat. At ineptiſſimè. Dixerat enim Paulus contra illorum errorem, qui eſcas Iudaicas religioſè retinendas Chriſtianis putauerũt: cùm tamen gratia diuina potiùs ſtabiliri oporteat Chriſtianos, quàm eſcis carnalibus, quæ ſicut Iudæis nihil profuerunt ad cor gratia ſtabiliendum; ita neque Chriſtianis proficient. Mox adiungit, habere Chriſtianos alias eſcas in altari, quæ maximè gratia cor ſtabiliant, quas nõ poſſunt edere ij qui veteri legi adhuc deſeruiunt. Id ſi de eſca ſpirituali ſolũ intelligitur, verùm non eſt. Idem enim Paulus 1. Cor: 10. 1. ait: *Etiã Iudæos omnes eandem eſcam ſpiritualem manducâſſe, & eundem potum ſpiritualem bibiſſe*; nempe Chriſtum per fidem. Si verò de eſca Euchariſtiæ intelligatur, vti reuera intelligi debet, cùm ea ſit propria populi Chriſtiani eſca à Chriſto inſtituta; eam ex altari edendam eſſe pronunciat Paulus, eaque ſola eſt illa eſca, quam ij qui tabernaculo deſeruiunt, edere non habent poteſtatem, cùm omnem aliam eſcam ſpiritualem habeant

De altari eſca Euchariſtia editur. Explicatur locus ad Hebr. 13. 10.

poteſta-

Digitized by Google

poteſtatem edendi; nempe per fidem, in figuris & typis. Ad quod etiam rectè accommodatur à Paulo ſequens ratio; qua oſtendit Euchariſticam eſcam, non eſſe licitam ad edendum iis qui veteri legi deſeruiũt. Vetitum enim erat illis Leuit: 16.26. hoſtias pro peccato oblatas edere: ſed efferendæ erant extra caſtra, & comburendæ. Cùm igitur hæc eſca Euchariſtica contineat Chriſti corpus pro peccatis in cruce oblatum, nõ licebit ea vti illis, qui adhuc tabernaculo deſeruiunt, & legem veterẽ. in qua id expreſſè vetitum eſt, obſeruant. Quam etiam ob cauſam ait Chriſtum extra portam paſſum eſſe, & extra caſtra, vt oſtenderet ſui corporis eſcam ad eos non pertinere, qui adhuc in caſtris legis veteris cenſentur, & eius præceptis adſtringuntur: ſed exeundum eſt ad Chriſtum extra caſtra, & lex vetus relinquenda, vt ita corporis eius eſca frui liceat. Hanc eſſe germanam huius loci ſententiam, & Patres docuerũt. & verba ipſa loquuntur: eam verò quam Volkelius è cerebro ſuo confinxit, cùm Pauli ſententiæ accommodari non poſſit, Racouiam remittimus, vbi talia omnia cum plauſu excipiuntur, quæ nullum authorem habent, ſed ſola nouitatis vanitate ſubſiſtunt.

Vaniſſima verò eſt illa Volkelij ratio, qua ſacrificium à cœna excludi putat, quòd cœna ad ſolam commemorationem mortis Dominicæ, non ad ſacrificium ſit inſtituta. Etenim nulla re magis atque ſacrificio Euchariſtiæ mors Domini repræſentatur, cùm hic corpus, illic ſanguis Chriſti, Deo pro nobis offertur, vti pro nobis in cruce oblatus eſt.

Examen quintæ Demonſtrationis à poteſtate Euchariſtiam conficiendi ductæ. CAP: XV.

Chriſtus ſuis Miniſtris dedit poteſtatem conficiendi Sacramentum corporis & ſanguinis ſui.

Hanc poteſtatem nec habent, nec agnoſcunt Miniſtri Euangelici:

Non ſunt igitur veri Chriſti Miniſtri.

Euchariſtiam negat Volkelius eſſe ſacramentũ.

HIC Volkelius primùm negat Euchariſtiam eſſe Sacramentum. *Vbi enim*, inquit, *legitur cœnã Domini, eam eſſe Sacramentum?* Verùm quis adeò inſulſus eſt, vt quamlibet rem ſuo nomine nuncupandam neget? Si Euchariſtia ſacramentum eſt, cur ſacramentum dici non debet? Si Volkelius animal rationale eſt, cur homo appellari nõ debet?

S.Paulus

Digitized by Google

S. Paulus matrimonium, quia eſt ſacra res, hoc eſt coniunctionis Chriſti cum Eccleſia ſignum, non ſolùm ſacramentum, ſed etiam magnum ſacramentum appellat: quidni igitur Euchariſtia, non ſolùm ſacramẽtum, ſed etiam omnium ſacramentorum maximum appellatur; cùm & rem omnium diuiniſſimam contineat, corpus & ſanguinem filij Dei, dicente Domino: *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus*; & mortem eius pro nobis obitam repræſentet, & ſit ſymbolum æternæ vitæ: *Qui enim manducat hunc panem, viuet in æternum.* Nam etſi ſcriptura id nomen Euchariſtiæ non tribuit; tamen ſatis eſt quòd rem ipſam, quæ hoc nomine inſigniri meretur, attribuat. Etenim Deum ſine vllo errore ſummum bonum appellamus; etiamſi ſcriptura nuſquam expreſſe Deum ita nũcupet; cùm id ex ipſa Dei natura, quam ſcriptura indicat, conſequatur. Facit enim nobis ſcriptura eàm poteſtatem, vt ex rebus creatis & viſibilibus, in Dei inuiſibilis notitiam veniamus. Quanto magis igitur, vt ea, quorum naturam nobis ipſamet ſcriptura repræſentat, propriis nominibus appellemus? Ac vt ridiculus in ſcholis eſſet, qui ex definitione negaret colligi definitum: ita ridendum ſe omnibus propinat Volkelius, qui Euchariſtiam, cui natura & definitio ſacramenti competit, negat vocari debere ſacramentum.

Negat Volkelius, Chriſtum huius ſacramenti conficiendi Apoſtolis poteſtatem dediſſe. At Chriſti Domini verba *(hoc facite)* erroris Volkelium conuincunt; non enim ſolùm edere, & bibere iubet Apoſtolos, ſed totum id efficere, quod ipſe tum faciebat. Primùm verò & ante omnia Chriſtus panem corpus ſuum effecit, & vinum ſanguinem, illis verbis: *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus.* Nam ad edendum & bibendum Apoſtolis obtulit vtrumque. Ergo idem illos facere iubet, vt panem Chriſti corpus efficiant, & illo veſcantur, aliiſque ad veſcendum præbeant: maximè quòd niſi panis efficiatur corpus Chriſti, & vinum ſanguis, edi & bibi à nemine poſſit. Non igitur, vt perperam Volkelius facit, verba Chriſti ad omnes fideles detorquenda ſunt: his enim veſci ſolùm hoc ſacramento eſt commune: at illud verbis Chriſti conficere, & benedicendo conſecrare, ſolis Apoſtolis, & Miniſtris eſt proprium. *Hos enim Deus conſtituit miniſtros & diſpenſatores myſteriorum ſuorum.* 1. Cor: 3. alios voluit ab ipſorum miniſterio & diſpenſatione pendere. Et quemadmodum Chriſtus in cœna ſuis manibus corpus ſuum & ſanguinem exhibuit Apoſtolis; ita vt idem ſuo miniſterio facerent Apo-

Euchariſtia conficiendæ poteſtas facta Apoſtolis.

Digitized by Google

ſtoli, præcepit illis verbis: *Hoc facite.* At Paulum, inquit, quid faciendum Chriſtus præceperit explicare: *Quotieſcunque panem hunc manducabitis, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Fateor explicare eam faciendi partem, quæ à fidelibus in cœna præſtanda eſt; at non id quod à Miniſtris huius ſacramenti præſtari debet. Fideles enim eo in loco inſtruit, non Miniſtros, quos ante, cùm miniſterio præficerentur, probè in ſuo munere inſtructos, non ignorabat. Facitque poteſtatem toti Eccleſiæ Corinthiorum edendi corpus, & bibendi ſangninem Chriſti; ſed de manibus Miniſtrorum.

Abiectè de Euchariſtia ſentit Volkelius.

Verùm erroris Volkelij cauſam non eſt difficile intelligere, ſi quis animo aduertat illum nihil de huius ſacramenti eſſentia & dignitate ſentire. Nam neque corpus & ſanguinem eo contineri expreſſè aſſerit; ſed tantùm eſu panis & potu vini, ait faciendam commemorationem mortis Chriſti: neque ex conſequenti vllam poteſtatem ad illud faciẽdum vult requiri; ſed ad ſimplicẽ panem & vinum ſolam commemorationem mortis Chriſti adiiciendam putat. Quæ vti à nobis clariſſimè ſupra refutata ſunt; ita luce clarius oſtendunt, Arrianos ſacramentorum & omnium myſteriorum religionis Chriſtianæ ſacrilegos hoſtes & corruptores eſſe: quippe qui hoc vnum intendant, vt ea omni dignitate ſpolient: præcipuè in hoc Diuiniſſimum ſacramentum debacchantur, vt & Chriſtum ab eo excludant, & clariſſima Chriſti verba, quibus corpus & ſanguinem hoc ſacramento contineri teſtificatus eſt, abnegent ac eurtant. Quodque Paulus 1. Cor: 9. aſſerit, *nos calici benedicere*: hoc illi impudentiſſimè ad benedicendum Deo, non calici referunt. Demum nullam in hoc ſacramento virtutem ad vitam æternam, & remiſſionem peccatorum conferendam agnoſcunt, nihilque ad hoc ſacramentum ſpectare volunt, id cuius potiſſimum cauſa hæc diuina eſca inſtituta eſt, quod illis Chriſti verbis indicatur: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Verùm hæc cùm ante à nobis diſputata ſint, nec Volkelius aliud quid opponere potuit, facilè oſtendit maiorem eſſe noſtræ demonſtrationis vim, quàm vt ab ipſo debilitari poſſit.

Examen ſextæ Demonſtrationis, ex miniſterio Sacramentorum ſumptæ. CAP: XVI.

Legitimi

Digitized by Google

Legitimi Miniſtri ſunt diſpenſatores Sacramentorum.
Miniſtri Euangelici non ſunt diſpenſatores ſed diſſipatores Sacramentorum.
Non ſunt igitur legitimi Miniſtri.

Miniſtros Chriſti *diſpenſatores myſteriorum Dei*, appellat D Paulus, 1. Cor: 4. 1. quod munus in præcipuis religionis noſtræ myſteriis Miniſtri Catholici ita ſuſtinent & exequuntur, vt omnia ſeptem ſacramenta, quæ à primis temporibus hucuſque in Eccleſia vſitata fuerunt, ſumma fide & religione retineant & adminiſtrent; virtutemque in eis diuinam & efficacitatem ad nos ſanctificandos, & gratia Spiritus ſancti donandos agnoſcunt, prædicant, venerantur. Nil tale viſitur in Euangelicis Miniſtris, quos veriùs diſſipatores quàm diſpenſatores ſacramentorum vocaueris. E toto enim ſacramentorum numero, vix Baptiſmum & Cœnam retinuerunt, eaq; manca, mutila, & imperfecta. Nam & à Cœna Chriſtum exturbarunt, & non aliam virtutem ſacramentis, quàm ad fidem excitandam, attribuerunt; contra expreſſa ſcripturarum teſtimonia.

Vix duo ſacramenta admittunt Ariani.

Hic igitur anguis inſtar ſe verſat Volkelius, & ad conſuetas latebras confugit, aſſerens poteſtatem ſacramenta miniſtrandi ad certos homines, qui Miniſtrorum perſonam ſuſtineant, non pertinere. Verùm id commentum cùm primis huius libri capitibus à nobis refutatũ ſit: eò Volkelium ablegamus. Quid enim magis apertum in ſcripturis, quàm Deũ Miniſtros à reliquis fidelibus, vt paſtores ab ouibus, diſcreuiſſe, iiſq; miniſterium & diſpenſationem ſuorum myſteriorum commiſiſſe, vtque reliquos fideles verbo & ſacramentis paſcerent, poteſtatem dediſſe. Neque enim fideles Deus, ſcopas diſſolutas, & oues ſine paſtore eſſe voluit, vti ſeipſos regerent, & quæ liberet amplecterẽtur ac reiicerent: ſed ad eum finem *Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*, Acto: 20. *vt eſſent Miniſtri Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*. 1. Cor: 4. 1. Iis igitur quemadmodum prædicandi poteſtatem attribuit, ad idque munus miſſione legitima eos egere voluit: ita & ſacramenta miniſtrandi poteſtatem conceſſit, ad eamque rem Spiritum ſanctum illis largitur, cùm per impoſitionem manuum ordinantur. Quæ quia ſatis ante declarata & ſcripturis confirmata ſunt, non eſt neceſſe vt repetantur. Hoc vnum addo, ſi cuicunq; (vt iſti volunt) liceat ſacramenta mi-

 niſtrare,

Digitized by Google

Dæmon Arrianis miniſtrat Euchariſtiam.

niſtrare, licebit & dæmoni baptizare, & cœnam Arrianis miniſtrare; ſiquidem ad hæc facienda nulla ſingulari poteſtate ſit opus. Licebit etiam Arrianis in popinis & menſis communibus ſacram cœnam ſumere, ſiquidem ad totum cœnæ Dominicæ negotium ex illorum ſententia, nulla re alia opus eſt, quàm panis ſimplicis fractione & vini potu, adiuncta commemoratione mortis Domini. Quod nihil aliud eſt, quàm ſacramenta Chriſti abiicere, & omnem eorum dignitatem euertere. Neque verò meritò opponere nobis Volkelius poteſt, Baptiſmum in neceſſitate à quouis conferri poſſe: vt enim ex officio ſolis ſacerdotibus id munus competit; ita ex commiſſione poteſt ad alium etiam pertinere. Quod autem in Baptiſmo propter ſummam eius ad ſalutem neceſſitatem permittitur, id de aliis ſacramentis facilè exiſtimari non debet, quæ à ſolis ſacerdotibus effici neceſſe eſt, neque ad alios qui ſacerdotes non ſunt ex commiſſione ſpectare.

De altera ſpecie.

Iam quum de oblata contra Chriſti præceptum, altera ſpecie, de nobis conqueritur; neque verum eſt quod aſſerit, nec ab eo vllis diuinæ ſcripturæ teſtimoniis euincitur. Falſum eſſe affirmo, nos alteram ſpeciem Euchariſtiæ tollere: etenim ſtatuimus magis, quàm omnes Euangelici. Nam Euangelici neutram verè conficiunt; noſtri ſacerdotes vtramque. Quid enim Euangelici in vtraque ſpecie habent, ſi Chriſtum in neutra habent? aut quid illis proderit ad ſalutem vtraque ſpecies ſine Chriſto, à quo ſolo vita æterna nobis in hoc ſacramento confertur? vmbras ſpecierum habent, veras ſpecies non habent; cùm ſpecies ſine Chriſto, ſint nuda, inania, egena elementa. Ergo cùm vtriuſq; ſpeciei eſſentiam (quæ Chriſtus eſt) Euangelici tollant, an non veriſſimum eſt, vtramque ſpeciem illos tollere? Simili verò modo agunt nobiſcum Euangelici, ac illi qui de limitibus decertant, cùm fundo & hæreditate careant: neque enim ei actio conceditur iure de limitibus agendi, qui fundi Dominus non ſit; parumque eſt limites fundo circumſcribere, ſi fundus ad te non pertineat. Nullum igitur Euangelici ius habent nobiſcum de altera ſpecie agendi, donec nobis oſtendant ſe Chriſtum in ſacramento habere: ſpecies enim ad Chriſtum in ſacramento continẽdum pertinent. Quod ſi ipſorum ſententia Chriſtus non eſt in ſacramento; quorſum de ſpeciebus agunt? aut quid illis ſpecies proderunt, ſi Chriſto careant? Certè plus Catholici in vna ſpecie habent; nempe Chriſtum totum, quàm Euangelici in vtraque. Imò ſi mille ſpecies, ſed

Non tollunt Catholici alteram ſpeciem ſed magis quam Euangelici ſtatuunt.

Simile.

inanes

Digitized by Google

inanes & vacuas Chriſto haberent, quid hoc ad ſalutem, quid ad vitam æternam illis conduceret? Neque ſolùm miſeri non habent Chriſtum in ſacramento; ſed nec habere poſſunt. Carent enim legitimis ſacerdotibus, quibus ſolis ea poteſtas diuinitus à Chriſto demandata eſt.

Euangelici non habent poteſtatem vtramque ſpeciem conficiendi.

Quanquam non ea ſolùm ratione nos Cathòlici vtramque ſpeciẽ ſtatuimus, quòd vtriuſque ſpeciei eſſentiam & agnoſcamus, & poteſtate ſacerdotibus legitimè ordinatis conceſſa conficiamus, cùm neutrum horum habeant Euangelici: verùm etiam quòd vtramque ſpeciem iuxta Chriſti inſtitutum & mandatum in ſacrificio, & offerimus & offerendo ſumimus. Etenim vtriuſque ſpeciei inſtitutio præcipuè ad ſacrificium Melchiſedechianum ſpectat; nempe vt ſub ſpecie panis & vini, Chriſti corpus & ſanguis ritu Melchiſedechiano offeratur, & ea oblatione, oblatio illa in cruce facta, corporis & ſanguinis Domini repræſentetur, ſicq; fiat commemoratio & annunciatio mortis Domini, quam & Chriſtus fieri voluit, & Paulus vrget. Fit quidem ea commemoratio etiam ab aliis fidelibus, qui licet non offerant, nec ſacrificium hoc conficiant; ſacrificio tamen participant, & ſumunt eſcam de altari, *quam non habent poteſtatem edere hi qui tabernaculo deſeruiunt,* vt ex Pauli ad Hebr: 13. verbis docuimus. Verùm primaria commemoratio fit per ſacrificiũ. Oblatio enim incruenta, oblationem cruentam maximè repræſentat. Secundaria verò ea eſt quam alij fideles faciunt: qui ſicut ſacrificio participant: ita & commemorationem mortis Chriſti, quæ fit in ſacrificio Euchariſtico, Chriſti mandato facere tenentur. Ad eum enim finem ad quem ſacerdotes ſacrificium offerunt, reliqui etiam fideles, qui participes altaris efficiuntur, ſua deuotione concurrunt.

Inſtitutio Chriſti qualis in vſu vnius & vtriuſque ſpeciei.

At auferre nos, ait, alteram ſpeciem laicis, cùm eos vſu illius prohibemus. Id verò cùm nos facimus, Chriſti inſtitutionem & mandatũ ſequimur. Ita enim Chriſtus inſtituit, ita fieri voluit, ita Chriſti inſtitutionem & mandatum Eccleſia Catholica ſemper intellexit. Nam quod ad inſtitutionem Chriſti attinet, ea (quà ad ſacrificium ſpectat) vtramque omninò ſpeciem complectitur, nec alterutra carere debet: ita enim fit, vt & in cruce facta oblatio clariſſimè repræſentetur; nẽpe ſub ſpecie panis, pro nobis corpus traditum & oblatum; ſub vini ſpecie, ſanguis pro nobis fuſus; & ritui Melchiſedechiano, qui panis & vini oblationem complectitur, ea ratione ſatisfiat. Quà verò alios fideles reſpicit, dicimus Chriſti inſtitutionem æquè ad vnam ſpeciem, ac ad

Tota Chriſti inſtitutio ſaluatur in vna ſpecie.

vtramque pertinere; vtrumque inſtituit Chriſtus, vt æquè vtraque ac alterutra veſci liceat. Nam quod ad eſſentiam ſacramẽti attinet; tantum vni contulit, quantum vtrique: nec plus vtraque in ſe continet, quàm altera tantùm. Eundem enim & integrum Chriſtum vna æquè ac vtraque continet, nec vtraque plus complectitur, quàm altera tantùm: nec vna minus habet, quàm ſi ambæ coniunctæ ſumantur. De vna enim ſpecie dixit Chriſtus: *Qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* Neque in diuiſis ſpeciebus Chriſtus diuiſus eſt; ſed indiuiſus, integer, perfectus. Neq; verò enim ſolum totam eſſentiam ſacramenti, hoc eſt Chriſtum vna ſpecie complectitur, ſed etiam totum & integrum ſacramenti fructum. Etenim vita æterna, qui eſt præcipuus huius ſacramenti fructus, ei qui vna tantum ſpecie veſcitur, integrè promittitur. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Nil verò ampliùs ei qui vtramque ſumit, à Chriſto promiſſum eſt. Meritò itaque inſtitutionem Chriſti, quà ad fidelium vſum ſpectat, integrè ſaluari in vna ac in vtraq; ſacramenti ſpecie dicimus: cùm non plus inſtituerit in vtraque, nec minus in vna; ſed tantundem contineri voluerit in vna, quantum in vtraque, ſiue ad ſacramenti eſſentiam, ſiue ad vtilitatem animum aduertas: ita vt vtentibus Chriſti inſtitutio æquè ſeruiat, ſi vna tantũ, ſicut ſi vtraque vtantur; quum & id quod in hoc ſacramento inſtituit Chriſtus, totum in vna contineatur; & finis, ad quem conſequendum ſacramentum inſtitutum eſt, totus ſit in vna, totus in vtraque ſpecie. Quocirca cùm Eccleſia Catholica vnam fidelibus miniſtrat, non aufert id, quod Chriſtus dedit; ſed inſtitutionẽ eius ſequitur, & totum dat, quod inſtituit; cùm totum quod inſtituit, in vna contineatur. Similiter cùm vtramque ſpeciem permittit, nihil præter inſtitutionem Chriſti facit: is ſiquidem totum inſtituit in vna, totum in vtraque ſpecie.

At vtrumque, inquit Volkelius, *Chriſtus inſtituit: vtraque igitur eſt fidelibus danda.* Verùm iam diximus, ita vtramque inſtituiſſe, vt quod ad rationem ſacramenti, totum eſſet in vna, totum in vtraque. Æquè igitur inſtitutioni Chriſti ſatisfaciunt, qui vna, ſicut qui vtraque vtuntur. Vtrique enim totum ſumunt, quod Chriſtus inſtituit. Neceſſitas verò inſtituendæ vtriuſque ſpeciei non ad ſacramentum, quo fideles veſcuntur, ſed ad ſacrificium, quod ſacerdotes offerunt, præcipuè pertinet.

De præcepto vtriuſque ſpeciei.

At præceptum vrget Volkelius, quo nos Chriſtus ad vtramq; ſpeciem adſtrinxit: *Quid enim,* inquit, *an non ſatis is ad vtramque ſpeciem adſtringit, qui vtramque inſtituit, dum non modò fractum panem comedere, verùm etiam*

ex poculo

Digitized by Google

ex poculo omnes bibere iubet, & vtrumque ad ſui commemorationem fieri poſtulat; quæ commemoratio cùm totius huius negotii fundamentum ſit, non debet vni ſpeciei aſſignari, quod ad vtramque cœnæ Dominicæ partem à Chriſto refertur. Hæc ille.

Verùm ſi ſolam inſtitutionem Volkelius vrgere velit, nihil efficit. Etenim inter viros doctos conſtat, inſtitutionem aliam quandam rem eſſe, quàm præceptum; multaque inſtitui poſſunt, ad quæ nemo præcepto adſtringitur, vt vel in matrimonio à Deo inſtituto, quod neminē obligat, perſpicuum eſt. Quod ſi vtramque ſpeciem ita inſtitutam dicat, vt ad finem vſque mundi ea retinenda ſit; vltro concedo retinendam eſſe in ſacrificio: in vſu verò communi fidelium, retineri quidem poteſt, vt verò retineatur omninò, nec inſtitutio Chriſti, nec mandatū vrget, cùm neceſſitas vtriuſque ſpeciei, vti dictum eſt, aliò ſpectet. Cùm verò ait Chriſtum iubere omnes, non modò fractum panem comedere, verùm etiam ex poculo bibere. *Bibite ex hoc omnes. Accipite, & diuidite inter vos.* non aduertit primùm ea verba, inuitantis non præcipientis eſſe. Qui enim ſimilibus verbis alteri poculum porrigit, ne quicquam illum præcepto obligat, ſolùm ad bibendum inuitat. Quare præcepti obligatio aliunde, quàm ex hoc cōtextu verborum colligenda eſt. Quod ſi præceptum aliquod his verbis contineri oportet, illud non alia ratione, quàm ea, quam Chriſtus ipſe facto ſuo & exemplo docuit, accipiēdum eſt. Non enim abſolutè iuſſit Apoſtolos edere & bibere; ſed tum cùm ipſe manibus ſuis edendum & bibendum offerret. Hoc igitur ſenſu præceptum omnibus fidelibus impoſuit, vt quoties Eccleſia & legitimi paſtores edendum & bibendum obtulerint, præcepto ſe adſtrictos arbitrentur ad vtramque ſpeciem ſumendam. Si verò Eccleſia inſtitutionem Chriſti integram, in vna ſola ſpecie intelligens, vnam fidelibus porrigat, debent vna eſſe contenti, & ſimili præcepto diuino per Eccleſiam ſe ad eam rem adſtrictos eſſe intelligere. Quod adumbraſſe quodam modo videtur Apoſtolus, cùm 1. Cor: 11. de vtraque ſpecie loquens, ſemel particula coniunctiua vtitur, ſemel diſiunctiua, indicare volens, tam cùm vtraque ſpecie coniunctim vtendum eſt, quàm cùm altera tantùm, mortem Domini annunciandam eſſe. *Quotieſcunque*, inquit, *panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Et mox: *Itaque quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini*; conſimili ratione, cùm de ſpecie panis loquitur, refert Chriſtum dicentem abſolutè: *Hoc facite*

Inſtitutio & præceptum diſferunt.

Præceptū vtriuſque ſpeciei quale.

in meam

in meam commemorationem: de calice verò: *Hoc facite, quotieſcunque feceritis.* Cur enim exiſtimamus hanc exceptionem calici & non pani additam, niſi vt calicis vſus non perpetuo futurus in Eccleſia indicaretur, cùm panis vſus conſtans & perpetuus eſſet futurus. Nam quod Volkelius ait, illam exceptionem ad tempus vtendi tantummodò pertinere: *Cùm etſi,* inquit, *mandato Chriſti ad vtriuſque ſpeciei vſum obligati ſimus, ad certum tamen tempus minimè ſumus adſtricti, ſed id in Eccleſiæ arbitrio poſitum à Chriſto.* Id verò non ſatis aptè à Volkelio dicitur, cur enim tempus aſſignaretur poculo, & non pani, cùm æquè ad vtrumque pertineat? an verò caſu id dictum exiſtimabitur ab eo, qui eſt ipſa Dei ſapientia, & Verbum Patris? Cùm igitur hæc reſponſio veram cauſam non afferat: illa pro vera habenda eſt, quam diximus; vſum poculi non ita perpetuum in Eccleſia futurum, vt alterius ſpeciei vſum: admonetque Paulus pari deuotione ac reuerentia, alteram quoque ſpeciem ſumendam, quoties illam ſumi oporteat.

Refellitur Volkelius.

Iam quod ait commemorationem, quam Dominus præcepit, ad vtramque ſpeciem ſpectare: diluendum eſt modo iam dicto; nam ad panem abſolutè & ſemper, ad poculum verò tunc, cùm eo vti oportebit: quod illa exceptio à Paulo adhibita, (*Quotieſcunq; bibetis*) ſatis declarat. Et ſanè quid prohibet fideles vna tantũ ſpecie vtendo, integram Chriſti pro nobis in cruce mortui commemorationem facere, cùm eius carne & ſanguine (in vna licet ſpecie) veſcantur; illa, inquam, carne, & illo ſanguine, qui pro nobis in cruce oblatus eſt? Verùm cùm plura Volkelius, quæ obiiciat, non habeat, ad ſeptimæ demonſtrationis examen veniamus.

Examen ſeptimæ Demonſtrationis, de Eccleſiæ Catholicæ Miniſtris. CAP: XVII.

Miniſtri veri ſunt Eccleſiæ Catholicæ Miniſtri.
Miniſtri Euangelici non ſunt Eccleſiæ Catholicæ Miniſtri:
Ergo non ſunt veri Miniſtri.

CVM tam multi ſe iactent Eccleſiæ Miniſtros, nullus tamẽ dignus eo nomine cẽſeri debet, niſi qui ſit Eccleſiæ Catholicæ Miniſter. Hac enim tanquam ſingulari nota, ſuam Eccleſiam in ſcripturis inſigniri voluit Deus, vt ab Eccleſia malignantium diſcerneretur.

Negat

Digitized by Google

Negat Volkelius more ſuo Eccleſiam Chriſti debere eſſe Catholicam, hoc eſt, toto orbe diffuſam, & ad omne tempus durantem. At apertiſſimis ſcripturæ teſtimoniis conuincitur, ex quibus aliqua profe-ram. Regni enim Chriſti ſeu Eccleſiæ amplitudo, deſcribitur Pſalmo 2. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* & Pſalmo 17. *Dominabitur à mari vſque ad mare.* Malachiæ 1. 11. *Ab ortu ſolis vſq; ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituũ.* En quanta Eccleſiæ amplitudo promittitur, quæ iiſdẽ, quibus mũdus, terminis cõtineatur, à ſolis ortu ad occaſum, à fine vſque ad finem, in omni loco. Eam verò amplitudinem ſemper duraturam prædicitur à Daniele cap: 9. vbi regnum Chriſti deſcribitur, *comminuens & conſumens vniuerſa regna, ipſum verò in æternum non diſſipabitur.* & Angelus Lucæ 1. *Regni,* inquit, *eius non erit finis.* Chriſtus verò Mat: 16. diſertè ait, Eccleſiam ſuam eſſe eiuſmodi, *aduerſus quam portæ inferi præualere non poſſint.* Certè ſi Eccleſia Chriſti vel deficeret tota, vel ſuam amplitudinem amitteret, portæ inferi præualerent aduerſus Eccleſiam, & regnum Chriſti diſſiparetur, & Chriſtus à ſathana expugnaretur: ſi igitur diuina promiſſa Chriſto facta, firma & ſtabilia ſunt; oportet fieri Chriſti Eccleſiam eſſe Catholicam, hoc eſt, vbique & ſemper. Nam quòd initio fuit Eccleſia Chriſti exigua & puſillus grex; id minimè ſcripturis aduerſatur: eæ ſiquidem eiuſmodi amplitudinem Eccleſiæ promittunt, quæ ab exiguis initiis in ſummam amplitudinem eſſet peruentura; quod ille lapis apud Danielẽ, qui contriuit ſtatuam, *& factus eſt mons magnus, implens vniuerſam terram,* manifeſtè deſignat. Cùm verò rurſum ad finem mundi Antichriſti tempore Eccleſia cogenda ſit, & reſtringenda, vt fidem vix ſit inuenturus in terra Chriſtus ad iudicium veniens: id ipſum euenturum ſcriptura prædixit, vt non neſciretur; toto verò tempore interiecto ampliſſimum futurum Eccleſiæ ſtatum ſacra oracula veriſſimè teſtantur. Quocirca eam amplitudinem, quam ſcriptura promittit Eccleſiæ negare, eſt maximæ temeritatis & impudentiæ.

Volkelius Eccleſiam negat eſſe Catholicam.

At enim, inquit, *ad eſſentiam Eccleſiæ non pertinet, vt ſit Catholica.* Quid tùm? ſit ſanè proprietas, at eiuſmodi, quam ſecundùm diuinæ promiſſionis modum indiſſolubili nexu, cùm Eccleſia coniungi neceſſe eſt; vt ſi ea careat, non Chriſti Eccleſia, ſed ſynagoga ſathanæ

cenſeri debeat. Quocirca neque Miniſtri, ſi Eccleſiæ Catholicæ Miniſtri non ſint, iure dici Miniſtri poſſunt.

Volkelij nugæ.

At in arbitrio, inquit, *hominum poſitum eſt, vt Chriſti doctrinam vel amplecti, vel repudiare poſſint: nihil igitur cogit, vt Eccleſiam vbiuis terrarum exiſtere neceſſariò ſtatuamus.* Quaſi verò quod in hominum arbitrio poſitum eſt, fieri neceſſarium non ſit, ſi ita à Deo futurum præuideatur & prænuncietur. Etenim Deus præuidendo & prænuntiando, non aufert hominibus liberum arbitrium, aut ei vim vllam ac neceſſitatem imponit; ſed id quod à libero hominum arbitrio futurum prænoſcit certò & prænunciat. Vt enim ex innumeris aliquid in medium proferam, an ne Iudam Chriſtus ad peccatum impulit, cùm illius proditionem certò futuram ſignificauit? aut Petrum vi adegit, vt ipſum ter negaret? quod ita futurum omnino expreſſè prædixerit? Quocirca cùm ſuam hanc ratiocinationem, quæ futiliſſima eſt, tanti Volkelius facit, vt eam velut Achillem opponat: id ipſum, quàm parùm ſit in ſcriptis Theologorum verſatus, facilè demonſtrat. Quemadmodum & illud, cùm ſcripturas de Eccleſiæ per totum orbem diffuſione ita interpretatur, vt eas intelligat non de effectu ipſo neceſſario ſecuturo; ſed de ipſa Dei in homines beneuolentia, quæ omnibus ampliſſimam occaſionem præbitura ſit, vt ſe Chriſto ſubiiciant. Hoc enim nihil inſulſius dici potuit, cùm ſcripturas non de occaſione agere, ſed quod re ipſa & in effectu futurum erat, teſtificari, per ſe clariſſimum ſit. Etſi enim abſque vlla vi & coactione id futurum ſit, eſt tamen omnino re ipſa futurum. Non enim id ſolùm neceſſarium dicitur, quod coactè & vi adhibita fit; ſed etiam quod cùm fieri & non fieri poſſit; reuera tamẽ omnino futurum eſt. hoc enim modo, quæcunque à Deo præuidentur & præſciuntur futura, etſi à libero arbitrio proficiſcantur, neceſſariò ſunt futura, quæ dicitur neceſſitas ex ſuppoſitione, non ſimpliciter.

Præuiſio Dei non aufert liberum arbitrium.

Illud verò quàm ab omni ratione alienum eſt, quod Volkelius adiicit, nulla Eccleſiæ ſigna quærenda eſſe, nec illis ad cognoſcẽdam Eccleſiam opus eſſe, nec ea dari vllo modo poſſe. Cui enim hæc ſtomachum non moueant? ſi Eccleſia omnibus per ſe nota eſſet; ſignis proculdubio opus non haberet. At cùm grauiſſimæ de Eccleſia diſputationes inter ſectarios exiſtant, ita vt ſinguli ſuam ſectam eſſe veram Eccleſiam magna contentione demonſtrent, quid magis à vero alienũ eſt, quàm ſignis Eccleſiam non egere? Eſt enim nobis à natura inſitum,

Eccleſiam notis indigere.

vt

vt à notis ad ignota perueniamus. Quodſi ex proprietatibus eſſentiam colligi Philoſophi rectè affirmant, quàm aſophum eſſe oportet, qui Eccleſiam ex proprietatibus, quaſi notis quibuſdam cognoſcendam eſſe inficiatur? At multò abſurdius eſt affirmare, nulla Eccleſiæ ſigna dari poſſe. Cur enim proprietates ſigna eſſe nequeant? aut quibus notis Chriſtus Eccleſiam ſuam deſignauit, cur iiſdem nos & ad eiuſdem notitiam peruenire non poſſimus? ſed in his deliriis confutandis ampliùs immorandum non eſt.

Venio ad illud quod aſſerit, eſſe ſuper petram ædificatam; Eccleſiæ notam non eſſe. Quid ita? quod id nil aliud ſit, quàm in doctrina à Petro tradita Eccleſiam ædificatam eſſe, id verò non ſignum eſt, ſed ipſam Eccleſiæ eſſentiam conſtituit, eſtque Petro cum aliis Apoſtolis commune, qui itidem fundamenta Eccleſiæ appellantur.

Hîc verò non ſemel labitur Volkelius. Nam & quid ſit, ædificatam eſſe ſuper petram Eccleſiam, non intelligit; & commune id Petro cum aliis Apoſtolis affirmat, & eam notam Eccleſiæ dici poſſe inficiatur. Aio igitur in Petro ædificatam eſſe Eccleſiam, non communi ſolùm cum aliis Apoſtolis ratione, ſed ſingulari quadam, & ipſi ſoli propria. Nam Apoſtoli quidem omnes, cùm primi ſua prædicatione Eccleſiam in orbe terrarum fundauerint, meritò fundamenta Eccleſiæ dici poſſunt: eamque ob cauſam in Hieruſalem illius cæleſtis duodecim fundamentis, duodecim Apoſtolorum nomina inſcripta recenſentur in Apocalypſi. *In Petro ſingulari ratione fundata Eccleſia.*

At Petro non id promiſſum eſt à Chriſto, quod cæteris Apoſtolis commune erat, ſed quod ſingulari ratione ad ipſum Petrum pertineret. Indicant id omnes huius loci circumſtantiæ. Soli enim Petro nomen Petri ſeu petræ impoſitum eſt à Chriſto, eo fine, vt in eo ædificandam eſſe Eccleſiam ſignificaretur; hanc enim eſſe huius nominis rationem Chriſtus ipſe hoc loco declarauit. Quod ſi id commune futurum erat Petro cum aliis Apoſtolis: quid ad hunc finem oportebat, ſoli Petro nomen mutare? aut cur aliis Apoſtolis ſimili modo nomen mutatum non eſt? Nam quod Volkelius ait, Petrum fuiſſe inter alios ordine primum, friuolum eſt. Non enim ordinem vllum inter Apoſtolos Chriſtus inſtituit, qualis inter ſenatores cernitur, vt iſte ſit primus ſenator, iſte ſecundus; nullum enim talem ordinem inter Apoſtolos conſtitutum fuiſſe ipſa eorum promiſcua, & ſine ordine enu- *Petro non commune quid cum cæteris Apoſtolis promiſſu.* 1. *Nullus inter cæteros Apoſtolos ordo.*

meratio facilè indicat: ſolus enim Petrus nominatur primus, alij ſine ordine vllo recenſentur; porrò ita nominatur primus, ſicut Dux & Princeps aliorum: cæteri enim cum illo; ipſe verò veluti dux & caput aliorum paſſim nominatur, & ſicut princeps cum ſua familia deſcribitur; ita Petrus cum cæteris Apoſtolis. Marci 1. & 16. Lucæ 8. & 9. Actorum 2. & 5.

2. Accedit Chriſtum ſingularem Petri excellentiam hoc loco commemorare voluiſſe in præmium eius confeſſionis, qua ipſe præ aliis Chriſtum confeſſus eſt eſſe Filium Dei; ac ſi diceret: Tu me confeſſus es Filium Dei viui, & ego dico tibi, quia *tu es Petrus.* Tu confeſſus es excellentiam meam: & ego dico tibi excellentiam tuam. Quod ſi cõmuni cum cæteris ratione Petrus eſſet petra; non eſſet ea ſingularis Pe-
3. tri excellentia. Et ſanè ſicut ſingularis ea fuit Petri confeſſio, (aliis enim tacentibus vel deliberantibus quid potiſſimùm reſpõdere deberent, ipſe ſolus reſpondit & Chriſtum confeſſus eſt) ita ſingulare quid Petro redditum eſt à Chriſto, quod cum aliis commune non eſſet. Nõ enim rectè ea in præmium alicui aſſignantur, quæ alia ratione ſunt ei
4. cum cæteris communia. Quod ſi quis exiſtimet Petrum nõ ſuo ſolùm ſed communi aliorum nomine Chriſtum confeſſum eſſe; quemadmodum & Ioan: 6. cùm diceret: *Nos credimus, & cognouimus quòd tu es Chriſtus Filius Dei viui*; is toto cælo oberrat. Non enim hanc cauſam confeſſionis Petri Chriſtus aſſignat, quod id ei vel alij demandàrint, vel quod aliorum animum & voluntatem ſciens, id muneris ſibi ſponte aſſumpſerit; ſed quia illi Pater cæleſtis id tunc reuelauerat: *Beatus es,* inquit, *quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cælis eſt.* Si Petrus omnium nomine Chriſtum confeſſus eſſet, ſicut confeſſus eſt, Ioan: 6. omnes Chriſtus beatos pronunciâſſet, omnibus reuelâſſe Patrem ſuum qui in cælis eſt, dixiſſet. At quia ſolum Petrum beatum ob eam confeſſionem prædicat, ſoli illi Patrem, qui in cælis eſt, reuelâſſe aſſerit: argumentum eſt eam confeſſionem non communi nomine, ſed ſuo proprio; idque ex peculiari Spiritûs ſancti inſpiratione & ſpiritûs feruore edidiſſe. Etſi enim alij quoque Apoſtoli ſcirent Chriſtum eſſe filium Dei: tamen cùm quid potiſſimum Chriſto reſponderent, ſecum reputarent; Petrus impulſus à Spiritu ſancto, ante alios proſiliit, & quid ipſe de Chriſto ſentiret, magnificè confeſſus eſt. Quare magnum eſt inter hanc confeſſionem, & illam Ioan: 6. diſcrimen. Nam apud

Ioannem in plurali, nomine omnium, Chriſtum confitetur. *Nos*, inquit, *credimus & cognouimus.* hic verò alios non commemorat, ſed ſingularem Patris cæleſtis reuelationem ſequutus, Chriſtum pronunciat Filium Dei viui; eamque confeſſionem Chriſtus ipſi ſoli, non aliis tribuit. Neque verò idcirco, quòd omnes interrogati ſunt à Chriſto, ſequitur 5.
Petrum omnium nomine reſpondiſſe; id enim minimè neceſſarium eſt, ſed illa interrogatio eo ſpectabat, vt ſinguli pro ſe loquerentur, & quid de Chriſto ſentirent, aperirent. Quod quia ſolus Petrus fecit, & pro ſe reſpondit; aliiſque, vt pro ſe loquerētur, reliquit, ſolus à Chriſto collaudatus eſt, aliis prætermiſſis. Quare ſoli etiam illud in præmium promiſſum eſt, *ſuper hanc petram, ædificabo Eccleſiam meam.* quod præmium proculdubio ſingularis confeſſionis non eſſet, ſi illi commune cum aliis Apoſtolis, qui tam magnificè tunc Chriſtum confeſſi non fuerant, fuiſſet. Denique ſicut aliis prætermiſſis ſoli Petro promittit 6.
claues regni cælorum, & poteſtatem ligandi atque ſoluendi ampliſſimam: ita ſoli quoque ædificationem Eccleſiæ ſuper ipſum pollicetur. Hæ enim etſi diuerſæ ſimilitudines ſint, vnam tamen eandemque Petri dignitatem denotant, non communi cum aliis Apoſtolis ratione, ſed præcipua quadam ac ſingulari.

Iam verò quæ eſſet iſta propria Petri dignitas, verbis ſuis Chriſtus indicauit. Quemadmodum enim Eccleſiam ad finem vſque mundi duraturam, & contra quam nullo vnquam tēpore portæ inferi præualerent, ædificare ſupra Petrum promittebat: ita & Petrum perpetuum Eccleſiæ ſuæ fundamentum ad finem vſque mundi in ſucceſſionibus ſuis duraturum aſſignabat. In quo magnum diſcrimen inter Petrum alioſque Apoſtolos apparet. Nam illi ita fundārunt ſuo tempore Eccleſiam, vt eis nullus in cura & adminiſtratione vniuerſalis Eccleſiæ ſuccederet. Solus Petrus id priuilegium à Chriſto obtinuit, vt non ſolùm dum viueret, ſed & toto ad finem vſque mundi tempore conſequenti, in ſuis ſucceſſoribus fundamentum Eccleſiæ eſſet; contra quod nullæ vnquam inferorum portæ præualerent. Id verò ita eſſe, res ipſa loquitur: Nullus enim vnquam extitit Apoſtolorum ſucceſſor, quem Eccleſia ſuum vniuerſalem paſtorem, præter Petri ſucceſſorem Romanum Pontificem agnoſceret; nulla Eccleſia in alio, quàm in Petro fundata, hoc priuilegium re ipſa habet, habuitque vnquam, quòd portæ inferi non præualerent aduerſus eam; omnes enim Dæmones,

Diſcrimē Petri & aliorum Apoſtolorum.

Hæretici, Iudæi, Pagani, per hos mille ſexcentos annos, etiamſi maximè Eccleſiam Romanam oppugnauerint, mouere tamen eam loco minimè potuerunt.

Abſurda Volkelij expoſitio.

Vana verò & futilis eſt illa verborum Chriſti explicatio, quibus portas inferni aduerſus Eccleſiam nunquam præualituras, prædicit. Neque enim iis ſignificari vult Eccleſiam amplam, florentem, feliceḿq; in hoc mundo futuram; hæc enim, inquit, eſt via lata & ſpacioſa ad infernum, per quam multi ambulant; ſed omnes qui Chriſtum ſequũtur, in mortuorum ſtatu, qui infernus eſt, nequaquam manſuros, ſed tandem ex mortuis faucibus ereptos æternùm victuros. Quis enim niſi mente captus dixerit, ſi ad Eccleſiam ſe quàm plurimi aggregent, & Chriſti cultum externa etiam claritate promoueant, eos viam latam & ſpacioſam, quæ ducit ad interitum, ingredi? Non enim quicunq; bonis externis abundant; ſed qui illis malè vtuntur, & ea ad Dei honorem & cultum non referunt, lata via incedere exiſtimari debent. At his prætermiſſis aio, Chriſtũ clariſſimè affirmare tam ſtabile & firmũ hoc Eccleſię ædificiũ ſupra Petrum futurum in terra, vt nullæ vires inferni illud labefactare poſſint. Non enim in altero mundo, ſed in præſenti ſupra Petrum ædificaturum ſe Eccleſiam pollicebatur; in hoc igitur non in altero mundo portas inferi nõ præualituras aſſeuerabat.

Portæ inferi non præualent aduerſus Eccleſiam.

Non repugnat Petrum habere ſucceſſorem.

Hinc igitur perſpicuè apparet, Petrum & peculiari ratione Eccleſiæ fundamentum eſſe, & peculiari ratione ſuper eo ædificatam Eccleſiam eſſe, claueſque regni cælorum, non communi cum cæteris ratione, ſed ſingulari & propria ipſi traditas eſſe. Denique hanc eſſe ſingularem Eccleſiæ Catholicæ notam, ſi Petrum eiuſq; ſucceſſores tanquam proprios paſtores agnoſcat. Nam quod Volkelius repugnare ait fundamentum: in ratione fundamenti habere ſucceſſorem; quid loquatur, ipſe non intelligit. Si enim eſſe fundamentum Eccleſiæ, eſt eſſe paſtorem eius vniuerſalem; minimè repugnabit in ratione fundamenti, habere ſucceſſorem; ſicut minimè repugnat paſtorem ordinarium in ſuo officio habere ſucceſſorem. Nam licet ille ſit primus fundator, alter verò primi ſucceſſor: quia tamen in eodem officio eſt ſucceſſor: ideo in ratione fundamenti, quod officium paſtoris vniuerſalis deſignat, ſucceſſorem eſſe non repugnat: primum verò vel primo ſuccedens eſſe ad eſſentiam fundamẽti non ſpectat, ſed eſt quid incidens, & accidentarium. Plura ad nugas Volkelij refellendas ſcribere

non

Digitized by Google

non pigeret, niſi tot iam ſcripta in hoc genere extarent. At veriſſimũ eſt illud Tertulliani: *Hæreticos conuinci poſſe, ſuperari non poſſe.*

Octauæ Demonſtrationis examen, de verbi Dei miniſterio. CAP: XVIII:

Miniſtri legitimi ſunt veri verbi Dei Miniſtri.
Miniſtri Euangelici non ſunt veri verbi Dei Miniſtri:
Non ſunt igitur legitimi Miniſtri.

DVO ſunt, ex quibus Miniſtros Euangelicos veri Dei verbi non Miniſtros ſed hoſtes eſſe, in noſtro Nodo demõſtrauimus, quòd nimirum & verbum Dei non ſcriptum reiiciant, & ſcriptum prauis interpretationibus adulterent, & corrumpant. Non ſunt hæc ad palatum Volkelij. Ait igitur verbum Dei non ſcriptum, verbum Dei minimè eſſe. Id ſi ita intelligat, vt exiſtimet verbum Dei niſi ſcribatur verbum Dei non eſſe; turpiſſimè hallucinatur; cùm ſatis conſtet verbum Dei, non à ſcripturis & membranis, ſed à Deo ſuam authoritatem habere; & ſcriptum Dei verbum, antequam ſcriberetur, verbum Dei fuiſſe, & ſine eo, ſatis diu multumq; Eccleſiam Dei ante ſcripta Apoſtolorum vixiſſe: denique multa etiam nunc eſſe, quæ verè verbum Dei ſunt, etiamſi ſcriptis conſignata non ſint. Si verò intelligat verbum Dei, quod ſcriptis Apoſtolicis non continetur, eſſe quidem verbum Dei, non eſſe tamen ad ſalutem conſequendam neceſſarium; quòd omnia ad ſalutem neceſſaria, ſcripto Dei verbo cõprehendantur: in ea re multis nominibus errore labitur. Primum enim ſcripturis repugnat, quæ verbum Dei non ſcriptum ſed traditum, obſeruandum præcipiunt. 1. Theſſ: 2. 14. *Tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam.* non igitur omnia quæ ad ſalutem conſequendam obſeruanda ſunt, ſcripto Dei verbo continentur. Quod ſi fideles illa, quæ ſine ſcripto ab Apoſtolis acceperant, obſeruare tenebantur, cur eorum ſucceſſores eadem lege non adſtringantur? Nam vti ſcripta Apoſtolica nobis de manu in manum ab iis tradita ſunt: ita & doctrina Apoſtolica, quam viua voce abſq; ſcripto docuerunt, eadem ratione ad nos propagata eſt. Et ſicut traditionem illam libenter amplectimur, qua nobis teſtificantur, iſta quatuor eſſe vera Euangelia, iſtas & non alias eſſe genuinas Apoſtolorum epiſtolas, (id enim non

Verbum Dei non ſcriptum verè eſt verbum Dei.

Traditiones tenendæ.

Digitized by Google

aliundè, quàm ex ſola traditione compertum haberi poteſt) cur eadē traditio in aliis quoque rebus, vel non ſcriptis, vel non expreſſè ſcriptis, eandem apud nos authoritatem non retineant?

Nam quod ait Volkelius, non conſtare tale aliquod Dei verbum ad nos ab Apoſtolis tranſmiſſum eſſe: aio ea fide & certitudine conſtare, qua conſtat Euangelium & ſcripturas, quas habemus, eſſe veras, non ſuppoſititias. Fucum verò facit Volkelius, cùm verbum ſcriptum ab ipſis Apoſtolis traditum affirmat; non ſcriptum autem ab iis, qui Apoſtolicam Eccleſiam tempore conſecuti fuerunt. Nam res per ſe manifeſta eſt, tam ſcriptum, quàm non ſcriptum Dei verbum ab ipſis Apoſtolis traditum, primæ illi Eccleſiæ traditum eſſe, vtrumque ab illis primis fidelibus vti ab Apoſtolis traditum acceperunt, de manu in manum aliis exhibitum eſſe; vtriuſque igitur par debet eſſe apud nos authoritas. Qua enim alia ratione nobis compertum eſſe poteſt, hoc quod habemus Dei verbum ſcriptum, ab Apoſtolis ſcriptum eſſe, niſi traditione fidelium?

Scriptura an omnia ad ſalutem neceſſaria contineat.

Iam verò quo tandem ſcripturæ fundamento Volkelius pronūciat, omne Dei verbum ad ſalutem neceſſarium ſcriptum, & literis conſignatum eſſe, quod verò ſcriptum non ſit, ad ſalutem neceſſarium non eſſe; quibus obſecro ſcripturæ teſtimoniis id euincit? Nam etſi in ſcripturis legamus, ea quæ ſcripta ſunt, ſalutem, ſi credantur, afferre; id tamen non eo ſenſu dicitur, quaſi ſingula quæ creduntur, eam vim habeant, vt ſalutem credentibus per ſeipſa, hoc eſt aliis excluſis, afferant; ſed quòd ſingula ſuo modo ad ſalutem concurrant; aliis tamen non excluſis Etenim de ſingulis fidei noſtræ articulis verè id à nobis affirmari poteſt, quòd credentibus vitam æternam concilient; non quòd ſinguli per ſe ſufficiant ad vitam æternam conſequendam, ſed quòd ſinguli per ſe ad eum finem cōferant: aliis tamen non excluſis. Sic D. Ioan: 1. epiſt: 5. 13. ait: *Eos vitam æternam habere, qui credunt in nomine filii Dei*; non quòd in filium Dei credere, ſatis ſit ad ſalutem; multa enim alia nobis ad ſalutem credenda & facienda in ſcriptura proponuntur: ſed quòd ea in filium Dei fides ex parte ſua conferat (aliis tamen non excluſis) ad vitam æternam. Quare cùm D. Ioannes ad finem ſui Euangelij ſcribit: *Multa alia quæ fecit Ieſus, ſcripta non eſſe, nec ſcriptis comprehendi poſſe.* mox adiungit: *Hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis, & credentes vitam habeatis.* Non eo ſenſu accipiendum eſt, ac ſi

ſolum

Digitized by Google

ſolum Ioannis Euangelium credendum ſit, & ad ſalutem ſufficiat; quorſum enim alia Euangelia, & aliorum Apoſtolorum ſcripta? ſed quòd Euangelium Ioannis, ſi credatur, vitam afferat; aliis tamen non excluſis, continet enim in ſe ea, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt. Et ſanè Diuus Ioannes in ſuo Euangelio Cœnæ Euchariſticæ inſtitutionē prætermiſit, cuius tamen vſum ad ſalutem neceſſarium Chriſtus faſſus eſt, Ioan: 6. & Euangelici non diffitentur. Nugari verò mihi videtur Volkelius, cùm multa de Cœna vltima à Ioanne commemorata eſſe contendit. Ad noſtrum enim propoſitum hoc ſolùm facit, quòd etſi Ioannes pleraq; alia de Cœna ſcripſerit, inſtitutionem tamen Euchariſtiæ prætermiſit, quam eſſe ad vitam æternam conſequendam neceſſariam, nemo Chriſtianorum eſt, qui dubitet. Scripſerat quidē Ioannes cap: 6. de pane & potu Euchariſtico promiſſo. At id Volkelium non iuuat, qui vnà cum cæteris Euangelicis nihil ibi de Euchariſtia agi proclamat; & quamuis id non negaret, fateri tamen debet, inſtitutionem ipſam vnà cum ritu & ratione Euchariſtica veſcendi, & præceptum de commemoratione in ea facienda, eſſe à Ioanne prætermiſſum. Quapropter verſet ſe in omnem partem Volkelius, nullo tamen modo efficiet, vt vim traditionum Apoſtolicarum euadat, vt ex iis quæ ieiunè ſatis & exiliter contra traditiones & verbum Dei non ſcriptum attulit (attuliſſet autem proculdubio ſi quid ſolidius habuiſſet) liquere poteſt.

Iam ad alterum membrum veniamus; quo Euangelicos, verbum Dei ſcriptum prauis & commentitiis interpretationibus adulterare & corrumpere demonſtramus. Proprium enim, & ex priuato cuiuſuis cerebro depromptam ſcripturæ interpretationem (qualem Euangelici adhibent) S. Petrus in ſua Epiſtola omnino damnat eo argumento, quòd quemadmodum Spiritu ſancto inſpirati, ſancti Dei homines, ſacras literas conſcripſerunt: ita in earum intellectu, non alia quàm Spiritûs ſancti interpretatio, & mens ſit diligentiſſimè perquirenda; proprioque iudicio (quod ſolum Hæreticos omnes facit Hæreticos & condemnat) non nitendum. Sic enim ait: *Omnis prophetia ſcripturæ, propria interpretatione non fit. Non enim voluntate hominum allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.* Fruſtra verò excipit Volkelius Petrum non de omnibus ſcripturis, ſed ſolùm de Propheticis & vaticinia continentibus locutum. Etenim communem

Scriptura propria interpretatione non fit.

Digitized by Google

omnibus ſcripturis rationem adhibet, quòd non hominum voluntate, ſed Spiritûs ſancti inſpiratione ſint à ſanctis hominibus compoſitæ. Hæc enim ratio æquè aliis ſcripturis omnibus ac propheticis acccommodatur: omnes ſiquidem vti Spiritus ſancti ſententiam continent: ita eiuſdem interpretationi ſubiacent. Et ſicut in propheticis ſcripturis aliqua Deus voluit eſſe obſcura, non vt neſcirentur, ſed vt earum intelligentia diuinitus maiori animi ſubmiſſione poſceretur: ita & de aliis ſcripturis non propheticis idem teſtatur ſanctus Petrus 2. Pet: 3. 16. nam de Epiſtolis Pauli loquens, ait. *In iis eſſe quædam difficilia intellectu, quæ indocti ac inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem.* Non igitur verum eſt quod Volkelius ait, res ad ſalutem neceſſarias facilè & ſine vllo inſigni interprete in ſcripturis intelligi, vt in Pauli Epiſtolis ait eſſe manifeſtiſſimum. Nam ſi Petrus difficultatem in iſtis aduertit ſummam: qua fronte Volkelius faciles eſſe pronunciat? Neque verò hanc difficultatem verſari in iis duntaxat rebus, quæ non ſunt ad ſalutem neceſſariæ, dici poteſt. Petri enim ſententiâ, res illæ erant huiuſmodi, vt iis qui eas non intelligerent, & alio, quàm à Paulo ſcriptæ ſunt, ſenſu acciperent, interitum afferrent. Quod etiam res ipſa teſtificatur. Etenim ea, quæ de Chriſto, de Spiritu ſancto, de Sacramentis, credenda nobis in ſcriptura proponuntur, eiuſmodi ſunt, vt ad ſalutem conſequendam ſint omnino neceſſaria; quæ tamen ita difficilia ſunt, vt plurimos in varias hæreſes ſua difficultate impulerint, etiamſi omnes animi corporiſque vires ad intelligendum adhiberent.

Scriptura interpretatio difficilis.

At enim Euangelicos non propriam interpretationẽ ſequi, Volkelius ait, ſed eam quæ ex ſcripturis ipſis inter ſe collatis intelligitur. Vaniſſimum ſanè effugium. Nunquid enim omnes Hæretici id non faciunt? & tamen Hæretici ſunt, & hæreſes ſuas ex ſcripturis inter ſe collatis hauriunt. Illi verò, quos Petrus multa in Pauli Epiſtolis & cæteris ſcripturis deprauare ad ſuam perditionẽ affirmat, nonnè ſcripturas cũ ſcripturis conferendo id faciebant? quos etiam idcircò indoctos & inſtabiles appellat, quòd nec ea doctrina eſſent, qua huic ſcripturas interpretandi muneri pares eſſe poſſent; nec ea in fide ſemel acceptâ conſtantia, vt ab ea nullis prauarum opinionum ſpectris dimouerentur.

Euaſio Volkelij.

Neque verò ſatis ſe tuetur Volkelius, cùm ait, illud eſſe rei abuſus

verum ipſius vſum tollere, & perſonarum vitia ipſi rei per ſe bonæ tribuere. Nego enim eſſe verum ſcripturarum vſum, ſcripturas cum ſcripturis proprio iudicio conferre & interpretari: eſt enim hic turpiſſimus ſcripturarum abuſus, ab ipſis ſcripturis damnatus, & omnes hæreſes generans. Ille ſolùm eſt verus & genuinus ſcripturarum vſus, ſcripturas eo, vel vt minimùm non contrario ſenſu, quem Apoſtoli & Apoſtolici viri tanquam à Spiritu ſancto profectum, nobis per manus tradiderunt, quemque Eccleſia Catholica (cui Spiritus ſanctus à Chriſto promiſſus eſt, vt maneat in ea in æternum, & eam doceat omnem veritatem) ſequitur interpretari. Quocirca Hæreticos omnes ſcripturis abuti pronunciamus, cùm illas contra eum ſenſum, quem ab Apoſtolicis viris accepimus, quacunq; ratione detorquent: etiamſi neſcio quas ſcripturarum inter ſe collationes ſe facere profiteantur. Etenim Lutherani & Caluiniſtæ ſcripturas cum ſcripturis cõferendo, decernunt Arrianos turpiſſimè errare, cùm Chriſtum eſſe verum Deũ negant. Arriani rurſum itidem contra Lutheranos decernunt. Aut igitur vtrique ſcripturis legitimè vtuntur; aut neutri: ſi primum admittatur, ſequetur ex ſcripturis pugnantia verè colligi & doceri poſſe. Si verò alterum concedatur; conſequens erit, non eſſe legitimũ ſcripturarum vſum, eas proprio iudicio inter ſe conferre & interpretari. Hoc enim omnium errorum eſt ſeminarium. Nam ſi Lutheranos non rectè ſcripturas cum ſcripturis conferre cauillentur Arriani, idem illis obiici à Lutheranis poterit, cùm æquè hi ac illi (conſcientia ipſorum teſte) omni qua poſſunt diligentia ſcripturas tractent; & tamen pugnantia ex eis eliciunt. Non igitur nos perſonarum vitia, rei per ſe bonæ tribuimus, ſed Arrianorũ & Euangelicorum omnium vitia accuſamus, quòd rem omnium optimam, & eius veritatis, quæ ad ſalutem neceſſaria eſt, fontem non ea ratione tractent, qua veritas ex illa elici, ſed qua omnes errores excitari poſſint. Neque enim ſcripturas per ſcripturas interpretari malum dicimus (quod eſſet rem ipſam damnare) ſed modum ab Euangelicis vſitatum damnamus, qui id proprio iudicio faciunt, quod ſecundùm Spiritus ſancti interpretationem nobis traditam ex Petri doctrina facere tenentur.

Verus ſcripturarum vſus quis.

Scriptura diuina eſt, & dicitur in ſacris literis lumen; ſed iis qui eam intelligunt, non verò non intelligentibus. His enim tenebræ ſunt & cæcitatis occaſio. Iis verò, qui eam intelligunt, eſt lumen, & ad dirigendos

Scriptura quomodo lumen.

Digitized by Google

rigendos pedes eorum, Dauide teſte: *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Quod ſi ſcripturam lumen eſſe exiſtiment ad ſeipſam intelligendam; cur obſecro tot ſunt Hæretici, qui eam penitus pernoſcere volunt, nec tamen aſſequantur? Nam ſi dicat Volkelius, eos vel præiudicatis opinionibus excæcatos, vel improbitate negligentiaque impeditos ſe ad eam legendam conferre: id neque ipſi verum fatebuntur, cùm ſibi optimè conſcij ſint, ſe in ſcripturam omne ſtudium conferre: & æquè in ipſos Arrianos idem reiicere & regerere poſſunt; nẽpe eos & præiudicatis opinionibus conſtrictos teneri, & non ea, qua par eſt, diligentia & ſinceritate ſacras literas pertractare. Quis erit tandem harum contentionum & diſputationum finis? an nullus? at tum nihil certum & conſtans eſſe in ſcriptura, ſed omnes fidei ac religionis rationes ſuſpenſas eſſe oportebit, quo nihil ad ſalutem pernicioſius excogitari poteſt. Num ſcriptura ipſa erit ſui ipſius iudex, & ipſa per ſeipſam cõtrouerſias dirimet? At ſi ipſa iudex eſt; cur inter Hæreticos lites ac diſceptationes non dirimit? maximè cùm omnes ad ipſius iudicium prouocant. Etenim ſatis conſtat ſententiam ad lites dirimendas ſcripturam nõ proferre, ſed in medio poſitam ab omnib⁹ Hæreticis cuiuſq; arbitratu iudicari, & ſic iudicis perſonam ſuſtinere non poſſe. Alioqui ſi quam ſcriptura ſententiam proferret, cur nemo è tanto Euangelicorum numero extitit, qui ſe hoc iudicium exaudiſſe teſtaretur? ſi enim audiunt, pugnantia iudicia audiunt, cùm ſinguli ſuum proprium iudicium ſcripturæ affingunt. Quod ſi ſcriptura pugnantia iudicare nõ poteſt: iſti toto cælo errant, qui ſua iudicia ſcripturæ adſcribunt, & ſcripturæ iudicium ſequi ſe gloriantur. Iam verò vti delirus & mentis inops is eſſet, qui conſtitutiones Regni, excluſis animatis iudicibus, pro iudice Regni conſtitueret: cùm lex ſit mutus iudex, qui nec loqui, nec ſe tueri, nec inter partes pacem componere poſſit; ſed patitur ſe quoquoverſum trahi, & in vtramuis partẽ detorqueri, nullo vnquam fine litium; mutus enim iudex, nullus iudex: ita deliris perquàm ſimillimi ſunt, qui id ipſum in ſcriptura, quæ nobis lex diuina eſt, faciendum putant.

Scriptura an iudex controuerſiarum.

Scriptura, inquit Volkelius, *nequaquam mutus iudex cenſeri debet, cùm certam regulam monſtret, ad quam omnes cõtrouerſiæ examinari poſſint ac debeant.* Verùm quæ ſit iſta regula à ſcriptura demonſtrata, docere pleniùs debuerat. Nam ſi ſcripturam cum ſcriptura priuato cuiuſuis ſenſu con-

Hæreticorum regula ad ſcrip-

Digitized by Google

ferre pro regula ſtatuit; ea erit omnium Hæreticorum regula, qua illi in varias eaſque turpiſſimas hæreſes prolapſi ſunt: neque id tantūmodò vitio eorum adſcribi debet; cùm ipſa regula id ex ſe ferat, vt in omnes errores eum, qui ipſa vtitur, præcipitet; neque poteſt quiſpiam ſcripturarum regulam ad ſuos vſus adhibere, niſi proprium iudicium deponat; & illud ad eam ſententiam, quæ ex Apoſtolicis fontibus hauſta ad nos vſque dimanauit, accommodet. Quod quia nulli Hæretici faciunt, ſed Catholici duntaxat; idcircò meritò illos Apoſtolus proprio iudicio condemnatos pronunciat. *Pluras intelligendas.*

Denique cùm *ſpiritus an ex Deo ſint probare* à Ioanne iubemur, non quacunque ratione, nec cuiuſuis iudicio id permittitur; ſed iubemur ibidem ad Apoſtolorum & diuiniſſimorum hominum ſenſum & interpretationem reſpicere, vt, quæ cum illorum ſententia conſentiunt, pro re veriſſima habeantur: quæ ſecùs, falſa, corrupta, mendacia: ſuam enim, hoc eſt Apoſtolicam interpretationem ac declarationem ad diſcernendos ſpiritus, an ex Deo ſint, ibi adhibet. Quod cùm nos Catholici faciamus ſemper, & eam ſcripturæ interpretationem ſequamur, quam ab Apoſtolorum temporibus ad hæc vſque tempora receptam, certa & perpetua traditione accepimus; Hæretici verò eam interpretandi legem reiiciant: non Hæreticis ſed Catholicis ea laus tribuenda eſt, quòd ſcripturæ non literam ſolùm, ſed & ſpiritum habeant. Hæretici enim non Apoſtolico, ſed proprio ſpiritu, qui ſpiritus erroris eſt, ſcripturas interpretantur. Ex quibus omnibus concludo, Miniſtros Euangelicos, non verbi Dei, ſed verbi proprij Miniſtros eſſe; cùm verbo Dei ſuam, non Dei ſententiam adſcribunt; quod eſt Dei verbum adulterare, & ex Dei verbo, non Dei verbum facere, ſiquidem abſque Dei ſenſu verbum Dei, dici verbum Dei non poteſt. *Spiritus quomodo probandi,*

Examen nonæ Demonſtrationis, ex fructu Miniſtrorum ſumptæ. CAP: XIX.

Veri Euangelij Miniſtri fructum afferunt Euangelio dignum,
Hunc fructum non afferunt Miniſtri Euangelici:
Ergo non ſunt veri Euangelij Miniſtri.

HIC penitus cauſa concidit Volkelius, & vi demonſtrationis victus ſuccubuit. Cùm enim nullos proferre potuiſſet ſuæ ſectæ

Arriani ad Apoſtolos non pertinent.

ſanctitate illuſtres viros, ad Ioannem Baptiſtam, ad Apoſtolum Paulum, & Ioannem Theologum recurrere compulſus eſt, vt ſe ſuoſque illorum ſanctimonia protegeret. Quaſi verò hi ſanctiſſimi viri ad ipſorum nefariam ſectam pertineant, & dicere illis non poſſint: Ex nobis exiuiſtis viperea progenies, ſed non fuiſtis ex nobis; cùm quæcunque nos docuimus, ſcripſimus, tradidimus, ea vos partim repudiaſtis, partim nefariis interpretationibus corrupiſtis. Neque ſolùm doctrina ad ipſos non pertinent, ſed nec vitæ Angelicæ ſanctitate. Quis enim illorum Ioannis Baptiſtæ pœnitentiam & auſteritatem imitatur? quis perpetuam Pauli & Ioannis continentiam & puritatem? quis vtriuſque cæleſtem illam, & à ſenſibus abiunctam rerum diuinarũ contemplationem? Deſinant igitur ſe alienis plumis falſò ornare, & alienas ſibi laudes arrogare. Quanquam non in eo demonſtrationis noſtræ pondus eſt, an Apoſtoli ſanctiſſimi viri fuerint, ad quos iſti ſe iniuria referunt: ſed an quemadmodum Apoſtoli verbi diuini, quod prædicàrunt, virtute multos ſanctiſſimos viros procreàrunt; ita & Euangelici Miniſtri, verbi quod prædicant vi, an aliquem ad inſignẽ ſanctimoniæ gradum perduxerint vnquam. Etenim in Nodo noſtro eiuſmodi fructum, verbum à Catholicis prædicatum in mundo facere, perſpicuè docuimus. Id verò quod Euangelici prædicant, minimè. Quod etiam non per accidens, ſed per ſe ex ipſorum doctrina ſequi oſtendimus; cùm ab iſtis doceantur, quæ à perfectione Euangelica homines auertunt: & rurſum ea hominibus proponantur, quæ ipſos ad omnem licentiam & morum diſſolutionem præcipites agunt, quæ non eſt neceſſe hic rurſum repetere, cùm neq; à Volkelio negata ſint, neque negari poſſint. Si iſtud verbum Euangelicum, verbum Dei eſſet: mirum profectò, ſi tam ſterile, infœcundum, & infructuoſum eſſet, vt nullos ſanctimoniæ fructus, ſed ſpinas & tribulos tantummodò producere potuerit. Etenim ſi verbum Dei eſt, verbi Dei virtutem, quam ei ſcriptura tribuit, habere debet. Etenim *viuus ſermo Dei & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum.* Hebr: 4. Quæ enim homini coniunctiſſima ſunt, ea verbum Dei, gladij inſtar, diſiungit ac ſeparat; & in carne ſupra carnem viuere hominem facit, omnibuſq; rebus creatis ſuperiorem exiſtere. Rectè verò ab ipſo Chriſto ſemini comparatum eſt. Etenim veluti ſemen corde conceptum, omnium virtutum

Euangelici ſua doctrina ſanctitatem non induxerunt.

& per-

Digitized by Google

& perfectionis Chriſtianæ fructum progenerat, hic trigeſimum, hic ſexageſimum, hic centeſimum. Quod ſi Miniſtros ex fructibus eorum cognoſcendos ipſe Chriſtus docuit, an non per ſe manifeſtum eſt, iſtos cùm nullos vnquam fruct⁹ ſanctitatis in ſuis auditoribus procrearint, aut procreare vnquam poſſint, nullo modo Miniſtros dici poſſe aut debere; cùm eorum fructus non alij ſint, quàm tot hæreſum & vitiorum monſtra, quæ ex huius quinti Euangelij doctrina neceſſariò conſequuntur.

Ad eſſentiam, inquit Volkelius, *Miniſtrorum ea res non pertinet, cùm multi veri Miniſtri abſque eo fructu doceant.* Fateor ſanè: at ex fructibus Miniſtros cognoſci Chriſtus ipſe docuit. Voluit ergo hanc veluti proprietatem veris Miniſtris ineſſe, vt fructus bonos producant. Quod ſi ne Miniſtri quidem Catholici ſemper eos fructus exhibent: exhibent tamen non raro, & è numero Miniſtrorum Catholicæ Eccleſiæ innumeri extiterunt, vt vitæ ſanctitate præſtantiſſimi; ita aliorum ad ſimilem vitæ ſanctimoniam duces & anteſignani. At ex tanto numero iſtorum Euangelicorum, ne vnus quidem eiuſmodi nominari poteſt, qui ſit cum illis ſanctiſſimis viris conferendus: ita vt ſterile nimis & aridum hoc Euangelium ſit, quod nullos ex ſe fructus edere poteſt. Quid aliud eiuſmodi Euangelium promeretur, quàm id, quod olim Chriſtus aduerſus arborem infructuoſam pronunciauit? *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excindetur, & in ignem mittetur.* *Ne vnus quidem in numero Euangelicorum ſanctus.*

Examen decimæ Demonſtrationis, de miraculis Miniſtrorum. CAP: XX.

Miniſtris veris Deus cooperatur, & ſermonem confirmat ſequentibus ſignis:

Miniſtris Euangelicis nunquam eſt cooperatus Deus, neque ſermonem eorum ſignauit ſequentibus ſignis:

Non ſunt igitur veri Miniſtri.

HIC in Logicam rurſum impingit Volkelius, maioremq; propoſitionē particularē proclamat: neq; aduertit vniuerſè verum eſſe, omnibus veris Miniſtris Deum cooperari; tunc cùm id maximè expedit, vel ad Dei gloriam, vel ad fidelium vtilitatem, vel ad ipſius *Error Logicus Volkelij.*

Miniſtri ſanctimoniam declarandum. Hac enim moderatione totam demonſtrationem accipiendam eſſe, res ipſa indicat. Etſi enim non omnium ſit miracula facere, ita vt ea poteſtate, cùm libuerit, vti poſſint: tamen cùm id expedit, Deus talem poteſtatem ſuis Miniſtris non denegat. Sed errata Logica Volkelio condonemus, & quid de re ipſa, tanquam ex tripode loquatur, audiamus.

Euangelici ad Apoſtolos non ſpectant.

Aſſerit primùm, idque impudentiſſimè, Apoſtolos Miniſtros Euangelicos fuiſſe, eorumq; ſermonem Deum confirmaſſe ſequentibus ſignis. At quis hoc iſtis concedat, qui ad Apoſtolos ita pertinent, vt ii pertinere cenſentur, qui omnem Apoſtolicam doctrinam euertunt, & ſomnia inaniſſima ac immanes in Deum blaſphemias eius loco hominibus obtrudunt. Nonnè idem omnes Hæretici continuò crepant, Apoſtolos ſuos eſſe? quibus tamen ſicut Apoſtolorum miracula non ſuffragantur: ita nec Arrianis præſidio eſſe poſſunt.

Arriani cum aliis Euangelicis minimè conſentiunt.

Nam quod Volkelius ait, Arrianos cum reliquis Euangelicis in ſalutari doctrina, quæ pauca admodum continet, ita conſentire, vt omnes vnus cœtus eſſe poſſint. Id neque vllo modo ab Euangelicis admittetur, neq; cũ veritate ipſa concordat. Nam vt cætera prætermittam, quid magis ad ſalutem pertinet, quàm Chriſtum verum Deum verumq; ſaluatorẽ credere? id tamen & impiè ab Arrianis negatur, & potenter ab Euangelicis aſſeritur. Quî igitur vnus cœtus ex Arrianis & Euangelicis cõſtare poſſit, qui in eo quod eſt totius religionis caput & ſumma, non conueniunt, eoque nomine Euangelici tantopere ab Arrianis diſſident, vt eos veluti peſtes ob hominum flagitia in Eccleſiam Dei immiſſas, meritò exiſtiment ac deteſtentur: tantum abeſt vt in vnum cum eis cœtum coire velint.

Status quæſtionis.

Accedit, non id in diſceptationem quæſtionemque vocari: An Apoſtoli ſuam fidem miraculis teſtatam fecerint; ſed an aliquis, quem certò Arrianum eſſe conſtet, ſuam fidem, quam Arriani Apoſtolicam falſò vocant, & ea ratione, qua ab iſtis defenditur, vllo vel tenuiſſimo miraculo confirmârit vnquam? Hoc enim illos argumento vehementer vrgemus, quòd cùm fides Catholica ea ratione qua à Catholicis intelligitur & defenditur, tot ſæculorum poſt Apoſtolorum tempora miraculis confirmata ſit, & confirmatur in dies, Arriana verò, vt ab illis docetur, ne vnius quidem miraculi diuinitus habuerit teſtimonium; euidens ſit documentum, eam à Deo non agnoſci vt ſuam, ſed

tanquam

Digitized by Google

tanquam adulterinam & commentitiam non curari, quippe cui teſtimonium præbere noluit; eam verò quam iſti damnant, quæque nouis in dies miraculis, quaſi tot diuinis teſtimoniis illuſtratur, agnoſci à Deo vt veram, germanam, & à ſe profectam.

Apoſtolorum miracula non iuuant Arrianos.

Aiunt ſe non egere miraculis, cùm idem Euangelium, quod ab Apoſtolis confirmatum miraculis fuit, ſe habere profiteantur. At neque probare poſſunt tale Euangelium, quale iſti prædicant, Apoſtolorum miraculis comprobatum vllo modo fuiſſe; improbatum potiùs & condemnatum fuit, vtpote doctrinæ Apoſtolicæ repugnans; neque perſuadere cuiquam poterunt id, quod iſti prædicant, Euangelium Apoſtolicum fuiſſe, aut Deum ei, vt ab iſtis intelligitur & docetur, vllo vnquam tempore teſtimonium dediſſe. Vti enim minimè dubium eſt Apoſtolicam doctrinam miraculis confirmatam eſſe: ita Arrianam doctrinam ab Apoſtolica toto cælo abeſſe, orbis Chriſtianus vniuerſus ab ipſis Apoſtolorum temporibus hucuſque intellexit, & eam tanquam exitioſum prodigium abominatus eſt. Egent igitur aliis miraculis vel teſtimoniis Arriani, quibus doceant ſuam doctrinam Apoſtolicam eſſe. Nam ſcripturis cùm id probare contendunt, hoc vnum efficiunt, vt minimè ſenſui Apoſtolico conueniens credatur. Illam enim ſcripturarum cum ſcripturis priuato cuiuſque ſpiritu factam collationem, quam iſti, vt ſingulare medium venerantur; non probationem, ſed ad omnem errorem inductionem eſſe clariſſimè à nobis iam demonſtratum eſt; cùm ea ratione Hæretici omnes ſuas Hæreſes Apoſtolicam doctrinam eſſe confirment.

Stramine a Volkeij rationes contra miracula Catholica.

Ait Volkelius, duabus euidentiſſimis rationibus demonſtrari poſſe, nulla diuina miracula ad ſalutarem doctrinam confirmandam apud nos edita eſſe. Primùm, quòd Deus nihil facit fruſtra: fruſtra autem fuiſſent miracula, poſtquam ſalutaris veritas ſatis fuit confirmata. Deinde, quòd Deus ad Chriſti religionem homines vi non cogit. At ſi hodie etiam ederentur miracula, homines quaſi vi quadam impulſi, non autem propria virtute adducti ad Chriſtum ſe conferrent; & ſic liberum arbitrium tolleretur.

Ita nugatoriis & leuiſſimis rationibus, rem omnium manifeſtiſſimam ſe conuellere poſſe arbitrantur. Quid enim euidentius, quàm omnibus ſæculis tot à Deo miracula pro veritate Catholica facta eſſe, vt numerando percenſeri non poſſint: eorumque tot teſtes ſunt locupletiſſimi, quot ſanctiſſimi Patres & Eccleſiæ lumina, grauiſſimique

Digitized by Google

rerum Eccleſiaſticarum ſcriptores extiterunt. Et tamen homunciones iſti ſumma temeritate & leuitate illa reiicere & calumniari non verentur. Quid enim aiunt? Fruſtra facturum Deum eiuſmodi miracula. Quaſi verò Diuina bonitas ſummo iure nobiſcum ſemper agat, & ea ſolum, quibus extremè indigemus, nobis concedat. Et ſi enim miracula primò facta ad fidem noſtram confirmandam ſufficiant: tamen ea plerumque repetita, mirum eſt quantam animo firmitatem ingenerent, & ad res diuinas nos excitent atque inflamment. Non igitur fruſtra Deus facere cenſendus eſt, quo ſuam in nos liberalitatẽ teſtatur; noſque ita erigit & confirmat, vt maximus ex eo vtilitatis fructus in nos redundet. Nec eſt quod vereatur Volkelius, ne miracula liberum arbitrium tollant; id enim nemo niſi ſtultus ac demens in animum induxerit. Non habent miracula vim cogendi & euertendi liberum arbitrium, ſed excitandi & impellendi duntaxat: ita vt ſequi impulſum, vel non ſequi, liberum relinquatur. Quod tum ea, quæ à Moyſe coram Pharaone patrata ſunt, miracula teſtantur; quæ tantùm abeſt, vt coëgerint Pharaonem, vt etiam magis ac magis cor eius obdurârint; tum etiam illa quæ Chriſtus plurima fecit, quæ quidem neque credentibus vim attulerunt vllam, neque in his, qui credere noluerunt, ſuum effectum ſunt aſſecuta. Hæ igitur ratiunculæ cùm ita leues ſint, vt vno flatu difflari poſſint; mirum eſt Volkelium iis adduci potuiſſe, vt miracula Catholicæ Eccleſiæ ad confirmationem fieri poſſe, aduerſus totius orbis & innumera ſanctiſſimorum grauiſſimorumque virorum teſtimonia negaret.

Deus non fruſtra edit miracula.

Miracula non cogunt liberum arbitrium.

Multo minus verò tolerandum eſt, quod ex iiſdem leuiſſimis ratiunculis deducit; miracula Catholica, cùm ad confirmandam veritatem facta non fuerint (quod ipſe duabus dictis rationibus demonſtratum putat) ad mendacia ſtabilienda dæmonis poteſtate edita eſſe. Quæ eſt intoleranda in Spiritum ſanctum blaſphemia, & in Eccleſiam Catholicam calumnia grauiſſima. Etenim cùm Iudæi opera Chriſti Beelzebub principi dæmoniorum attribuerunt, (quod iſti Arriani faciunt) grauiſſimi peccati in Spiritum ſanctum eos teneri reos Chriſtus pronunciauit; quodque nec in hoc ſæculo, nec in futuro remitti queat. Quæ enim in Eccleſia Catholica fiunt miracula, nihil omnino illis cedunt, quæ in primæua Eccleſia ab Apoſtolis facta fuêre; imò maiora facturos ſuos fideles, quàm ipſe fecerit, Chriſtus affirmauit. Si igitur hæc cum illis eiuſdem generis ſunt, eadem ratione vtraque admittenda

Volkelius Dæmoni miracula tribuit.

Digitized by Google

tenda vel reiicienda erunt: & quæ illis calumnia impingitur, eadem iſtis quoque irrogari poteſt. Deinde qua ratione Chriſtus aduerſus Iudæos probauit ſua miracula, digito Dei, non virtute principis dæmoniorum fieri: eadem prorſus ratione nos quoque miracula noſtra comprobare poſſumus. Nam & Dei, non dæmonis, inuocato nomine efficiuntur à nobis, & eorum virtute dæmones ipſi expelluntur, ac omnis eorum poteſtas labefactatur; denique ea præſtantur, quæ omnem dæmonum & naturæ poteſtatem ſuperant, vt eſt mortuorum ad vitam reuocatio, cæcorum illuminatio, & ſimilia; quæ ſi calumniari libeat, omnia Apoſtolorum & Chriſti ipſius miracula eidem calumniæ ſubiacebunt.

At ex doctrina ponderanda eſſe miracula docemur Deut: 13. *Si enim Propheta falſus prædixerit ſignum, & euenerit quod locutus eſt, & dixerit: eamus, & ſequamur Deos alienos, quos ignoras; non audies,* inquit Deus, *verba Prophetæ illius, quia tentat vos Dominus Deus noſter: vt palàm fiat vtrũ diligatis eum, an non?* Verùm vti hæc regula põderandi miracula ex doctrina, per ſe veriſſima eſt; ita nihil planè ad Arrianos pertinet: ſed ad eos duntaxat, quorum doctrina non ex proprii cerebri fontibus hauſta, ſed diuinitus accepta, vel diuino teſtimonio aliquo ſemel confirmata eſt. De eiuſmodi enim doctrina in loco Deuteronomij citato, loquitur De⁹, quam ipſe populo illi tradiderat, & diuino ſuo teſtimonio comprobauerat. Arriani verò doctrinam ſuam etſi diuinam eſſe iactent; id tamen non diuino aliquo, ſed ſolo proprii iudicij teſtimonio confirmant, ſua nimirum illa ſcripturarum cum ſcripturis collatione, quam eſſe fallaciſſimam regulam ad veritatem aſſequendam & omnium Hæreſium ſeminarium ſatis antè docuimus. Nobis Catholicis ea regula ſeruit, qui doctrinam noſtram, vt à nobis explicatur & ab Apoſtolis traditione accepta eſt, miraculorum teſtimoniis innumeris à Deo confirmatam eſſe, clariſſimè demonſtramus.

Cùm conſtat de doctrina, miracula ex doctrina ponderanda.

Cùm verò Volkelius vt Dæmonum poteſtatem extollat, eos non falſa, ſed vera miracula facere poſſe tuetur, an non manifeſtè ſe dæmonum miniſtrum & aduocatum oſtendit? ſi enim vera miracula naturæ omnem poteſtatem ſuperant; ſolus verò Deus id præſtare poteſt, quod omnem naturæ vim excedit: an non conſequens eſt, dæmones vera miracula patrare non poſſe? Veriſſimum enim eſt illud, quod Deo Propheta tribuit. *Qui facit mirabilia magna ſolus.* Quod ſi exiſtimet dæmonem ſua vi vera miracula non efficere, ſed omnem eam vim ei à

Dæmon noua miracula non facit.

Deo communicari, iam multò grauiori abſurdo ſe obligabit: cùm Deo id, quod eius bonitate indigniſſimum eſt, tribuit, quod errorem & deceptionem cum dæmone cooperetur. Quæ enim Dei poteſtate ad id communicata fiunt, magis Deo, quàm Miniſtro, tribuenda ſunt. Quid autem ſummæ illi veritati & bonitati minus conſentaneum eſt, quàm fallere, & in errorem inducere? Deus enim lux ſynceriſſima eſt, & tenebræ iniquitatis, quę ſplendorem eius obſcurare & minuere poſſint, non ſunt vllæ, Ioanne in prima ſua Epiſtola teſte. Cùm verò Pauli 2. Tim: 2. 10. verbis ſuum errorem tueri vult, quibus Deum miſſurum operationem ſeu efficaciam erroris affirmat; non aduertit Paulum illam operationem ſoli ſathanæ tribuere: *ſecundùm operationem,* inquit, *ſathanæ in omni virtute & ſignis, & prodigiis mendacibus.* Neq; enim ſigna, Dei virtute edita, mendacia eſſe poſſunt. Quare Deum operationem ac efficaciam erroris mittere, eſt permittere eam ſathanæ operationem, quæ proculdubio ſine permiſſu Dei non fuiſſet. Cùm verò Chriſtus Matt: 24. 24. ſurrecturos Pſeudochriſtos prædicit, daturosq; *ſigna magna & prodigia, vt in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi*; de ſignis itidem falſis & mendacibus loquitur, ſicut & Paulus; quæ vt vera miracula cenſeantur, nullo modo fieri poteſt, cùm ficta ſint, & apparentia.

Diuinâ verò prouidentiâ fit, vt fideles eiuſmodi fictis miraculis non decipiantur: cùm vel talia miracula multo antè prædicantur, vt caueri poſſint; vti de miraculis ab Antichriſto patrandis, nos ſcripturâ præmonet; vel etſi prædicta non fuerint, tamen tali modo & ratione fiunt, vt ex rei circumſtantiis falſitas eorum facilè deprehendatur, vti in Hæreticorum miraculis perſæpe accidit; vel deniq; doctrina ipſa ſemel à Deo confirmata miraculis, ſatis commonſtrat falſa eſſe miracula, quæ veris miraculis repugnant, vt ex Deuteronomii cap: 13. manifeſtum eſt.

Hinc porrò perſpicuum eſt, quantum hæc vltima demonſtratio aduerſarios vrgeat; quamq; nullius planè momenti ſint, quæ tùm contra illam, tùm contra alias nouem, ab iis in medium adducta ſunt. Quod enim alicubi Cicero rectè annotauit: Ea eſt veritatis vis, vt contra hominum ingenia calliditatem, ſolertiam, facilè ſe per ſeipſam defendat.

BIBLIOTECA NA. ROMA VITTORIO EMANUELE

AD L.

AD LECTOREM.

Habes candide Lector, meum ad obiecta Volkelij reſponſum, ex quo & Catholicæ veritatis firmitatem, & Hæreticorum inanes in ea oppugnanda machinationes intelliges: quæ enim ab iis afferuntur, dicuntur, ſcribuntur, non diuina oracula ſunt, ſed proprij capitis commenta: tela eorum, aranearum telæ, fraudes, doliq; quibus ita plerunque ſua ſcripta onerant, vt numerus eorum facilè iniri non poßit. Teſtatum id faciunt, vel vnius Philippi Pleßæi Caluiniſtarũ præcipui nunc in Gallia Miniſtri, libri: in quorũ vno cõtra Miſſam edito, mille primùm mendacia à Fronte Ducæo deprehenſa: deinde verò à Iacobo Peron Epiſcopo Ebroicenſi, quatuor millia falſificationum ſeu falſarum citationum detecta, ex quibus quingentæ coram Henrico IV. Galliæ Rege & Iudicibus Commiſſariis ad examinandum propoſitæ, Pleßæusq; Iudicum ſententia, falſi reus declaratus, Anno Domini, 1600. quod ita accidiſſe, Rex ipſe literis ad Ducem Eſpernon datis, confirmauit: quarum exemplar maioris fidei cauſa hîc ſubiiciam.

Immenſa mentiendi libido.

Acta huius colloquij exſtãt ex Gallico in Latinũ tranſlata per Iacobum Coulanum Lugduni impreſſa.

Literæ Henrici IV. Regis Galliæ ad Ducem Eſpernon, de ſucceſſu diſputationis cum Pleſſæo.

AMice; Diœceſis Ebroicenſis ſuperauit Diœceſim Saumurri, & ſuauis modus procedendi, qui obſeruatus eſt, omnem ſuſtulit occaſionem Hugonotis quibuſcunque, ſuſpicandi & affirmandi, vim aliquam adhibitam fuiſſe, præter vim ſolius veritatis. Harum lator, præſens

Iacobus Peron Epiſcopus Ebroicen. Pleßaus

Digitized by Google

guberna-tor ciuita-tis San-mauri. præſens conflictui interfuit, qui te certiorem reddet de mirabilibus, quæ ego in iſto negotio feci. Certè à multo tempore vix vnquam tantum vulnus pro Eccleſia Dei, ad manifeſtandum errorem, inflictum eſt. Hac via plures in vno anno, ex his qui extra Eccceleſiam errant, reducemus, quàm alio quocunque modo in quinquanginta. Plurima poſſent dici pro parte vtriuſque, ſed longum eſſet ſingula ſcribere: Tabellarius hic narrabit modum, quem etiam deſidero, vt omnes mei famuli & aulici intelligant, quo fructum aliquem metant & colligant ex iſto opere. Precor bonam noctem amice, quoniam cognoſco magnam te inde voluptatem capturum; tu vnus es & ſolus, ad quem hac de re ſcripſi. Datum Fountaynebleaun, 5. Maij, 1600.

Henricus.

Miror verò Volkelium, quòd tantum verbi Miniſtrum tot falſificationibus illuſtrem, cùm in nodo Gordio à me refutatum legeret, ſe non ſatis noſſe fateatur. Tuum erit, optime Lector, hæc non ignorare, ex eoq; decernere, quantùm Hæreticorum ſcriptis fidendum ſit. Viue & Vale.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

9-3-3

Digitized by Google

BIBLIOTECA